48032

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

De

SUDORE,

Quam

Divina favente gratia

In Illuſtri Argentoratenſium Univerſitate,

DECRETO ET AUCTORITATE

INCLYTÆ FACULTATIS MEDICÆ

Pro

Summis in Arte Medica Honoribus & Privilegijs Doctoralibus ritè conſequendis

Solenni ac placidæ Eruditorum Cenſuræ ſubmittit

MELCHIOR SEBIZIUS,
Argentoratenſis.

Ad D. 30 Septembr. An. M. DC. LXXXVIII.

ARGENTORATI,
LITERIS JOHANNIS WELPERI.

ILLVSTRI
SCHENCKBECHERIANÆ MUNIFICENTIÆ DIRIBITORVM COLLEGIO,

VIRIS

Nobilitate Generis, Magnificentia munerum, Conſiliorum gravitate, Reverentia Dignitatis, Prudentia, Experientia, præclaris in Patriam meritis, Eminentibus,

Patronis ac Mecœnatibus Optimis, Maximis,

Diſſertationem hanc Inauguralem
ceu
Perpetuæ Obſervantiæ ac Gratitudinis Monumentum
Reverenter & obſequioſè dicat conſecratque

MELCHIOR SEBIZIUS.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

THESIS I.

VT innumera Latinorum vocabula è Græcis fluxerunt fontibus, ita & *Sudor* ab iisdem originem traxit. Dimanavit enim Latinorum *Sudor* à Græcorum ὕδωρ, (aqua ſeu unda) converſo ſpiritu in S, quomodo ab ἕξ eſt ſex, ab ἑπτὰ ſeptem, & à Græco ὕπνος, Latinorum Sopnus, (unde poſtea ſ. per euphoniam, ſeu per æolismum ſomnus) mutatoque υ Græcorum in u vocale Latinorum, quod in aliis quoque vocabulis admodum eſſe frequens, *G. J. Voſſius de lit permut.* oſtendit. Sunt tamen, qui ab ἱδρὼς (quo nomine *Sudorem* Græci vocant) derivare malint, κατὰ μετάθεσιν ſc. literarum, non magno diſcrimine, quamvis prius laudato *Voſſio*, *Etymol. L. L.* magis probetur. Quo ipſo refelluntur ij, qui ab *humo* deducentes *Sudoris* vocabulum, quos inter præcipuus eſt *Varro*, *4. de L. L.* Latinam eidem ac nimis longe petitam originem aſſignarunt.

II. Circa ambiguum nominis ſignificatum operæ pretium erit notaſſe, *Sudorem* ſumi *1. Latè ac impropriè*, pro quavis materiæ vaporoſæ vel liquidæ, roris in modum, in quovis ſubjecto, collectione. Ita parietes, marmora, feneſtræ, ſpecula ſudare dicuntur, quando ſub aëre humidiore alliſus ad eorum ſuperficiem vapor, frigore loci concreſcit in guttas. Sic ſudantibus ſtatuis ac ſimulacris Gentilium Deorum apud veteres nihil frequentius. Quos quidem Sudores, pro miraculoſis à multis habitos ad naturales cauſas ex parte reduxit *Theophraſtus l. 5. hiſt. plant. c. 10.* & ex eodem *Cardanus l. VIII. de ſubtil. rer. p. m. 473.* Sudaſſe ſc. illa, quæ ex Cedro conficiebantur, ob in-

 ſignem

ſignem reſinoſi liquoris copiam celeberrima olim arbore, qui liquor vi caloris expreſſus, Sudoris imaginem referebat. In regno vegetabili, *Sudor* appellatur liquor ille, qui verno præpr. ac æſtivo tempore, ex ſtirpibus guttatim exſtillat. Ita *Renodæus* Maſtichen definit, quod ſit gummi reſina ex Lentiſco *exſudans*. Et *Kircherus*, ὁ ἀθανάσιος, referente viro doctiſſimo, *G. H. Velſchio tr. de ven medin. c. XI p. 287.* Liquorem è cortice arboris *Caphur* deſtillantem, aptiſſime *Sudorem Caphuræ* nominat. Sed & in animalibus percolationes multæ *Sudationes* appellantur. Nam & Cerumen aurium *Ariſtoteles* commodè ἱδρῶτα τῶν ὤτων, *Sudorem aurium* appellat. Et *D. D. Schneiderus* in operoſo de Catarrh. volumine paſſim, ſecretionem pituitæ in naribus & ore, *Sudationem* membranæ pituitariæ, ac pituitam ipſam ejusdem membranæ *Sudorem* vocat. Quin conſimili ratione Lympham ipſam, verſus interiora refluam, ceu maxima ſui parte ex ſanguinis halitibus condenſatis, perque minimos partium poros exſudantibus, collectam, *Sudorem internum ac retentum* nominavit *Whartonus Adenogr c. XXVI. p. m. 168.* Ut plura taceamus quæ allegari poſſent exempla. 2. *Propriè ac ſtrictè*, pro materiæ vaporoſæ aut humidæ in cute animalis, guttarum aut roris in ſpeciem, collectione, quocunque illa è partibus cute comprehenſis promanarit modo, quem non unum eſſe ex infra dicendis conſtabit. Vel 3. *Strictiſſime*, pro eo, qui vitalis caloris ope per cutis ſpiracula prodit. Quæ poſteriores binæ ſignificationes huc pertinent.

III. Transfertur tamen ad alias etiam res *Sudoris* vocabulum. Ita *Empedocles*, teſte *Ariſtotele l. 2. meteor. c. 3.* mare ἱδρῶτα τῆς γῆς, *Sudorem terræ* appellavit: fortè, quia mare ſalſum, perindè ut *Sudor*: quam & cauſam videntur habuiſſe vetuſtiſſimi Ægyptiorum Theologi, cur mare *Lacrymam Saturni* nuncuparent, ceu id *Plutarchus l. de Iſid & Oſir.* refert. *Sudor ovi* à quibusdam dicitur aqua albuminis deſtillata, aut etiam à coctione in cineribus reſudans; quam in vulneribus oculorum mire collaudat *Euſtachius Rudius Pr. l. 1. c. 20.* & ad cicatrices faciei commendat *Marcellus Cumanus*, teſte ſupra laudato *Velſchio, Syllog. obſ. medic c. 1 n. 59. Sudor ſalis hermaphroditici à Libavio* appellatur Liquor vel Spiritus Halinitri, *apoc. Hermet.*

met. part. pr. c. 11. Sudor animæ à quodam Patrum dicuntur Lacrymæ; quia, ſicut corpus fatigatum ac labore concuſſum emittit Sudorem; ſic anima dolore ac triſtitia afflicta, Sudore Lacrymarum perfunditur. Denique *Sudorem* quandoque pro labore accipi, effectum pro cauſa, quum neminem lateat, monuiſſe ſuperfluum duco.

IV. Hæc de nomine. Cæterum, cum ad *Sudoris* productionem tria concurrant, materia, viæ per quas, & cauſa efficiens, de ſingulis his in ſpecie nunc agendum. Ac de materia quidem *Sudoris* forte non eſt, ut multum dubitemus. Indubiè enim *Sudor* ſeroſum maſſæ ſanguineæ eſt excrementum; non ſecus ac Urina & Lacrymæ, & quæ per inſenſibilem transpirationem continuo nobis decedunt fuligines. Præter enim veterum ac inpr. *Galeni* auctoritatem, qui *c. 2. de atr. bil.* expreſſe teſtatur: *ex illa humiditate, quam alij quidem aquoſam, alij ſeroſam nuncupant, urinam eſſe & Sudorem.* Idem etiam Phænomena illa comprobant, quibus æſtivo tempore & ſub aura calidiore facta copioſiore ſeroſi hujus excrementi per poros cutis trajectione, rarior & parcior mictus obſervatur: dum econtra hyberno ingruente gelu, occluſis cutis meatibus, copioſior urinæ ſecretio ſupervenit. Sed & ſenſus denique adhiberi in teſtimonium poſſunt, quibus fidem habendam eſſe *Philoſophus* cenſet ab iis, qui rerum eſſentias cognoſcere cupiunt. Quum autem ſenſus easdem qualitates in *Sudore* ac in aliis ſeroſis excrementis agnoſcant, eandem ſc. conſiſtentiam ac ſaporem; non eſt, quod dubitemus, eandem horum omnium originem fateri.

V. Si porrò quæras de natura & quidditate *Seri*, ſciendum inpr. non eandem heic eſſe Veterum ac Recentiorum ſententiam. Veteres enim eo nomine humorem aquoſum intelligunt, in venis una cum aliis humoribus permiſtum, qui quidem, dum ſanguis adhuc in conceptabulis ſuis fluctuat, propter miſtionem ſit inconſpicuus, in ſanguine tamen extravaſato potiſſimum ſe manifeſtet. Sc. cum obſervarent, ſanguinem, ſecta vena, in pelvi exceptum, ſponte ſe dividere in partem fluentem ac grumeſcentem, relicto huic quidem καт' ἐξοχὴν ſanguinis titulo, ex diverſis licet portionibus iterum conſtante; alteram fluentem, ad nutritionem inutilem, quippe aqueam, & ex aquoſa eſculentorum

ac potulentorum ſubſtantia prolectam, ὀῤῥὸν καὶ πρείτλωμα ὀῤῥῶδες nuncupant, propter inſignem analogiam, quàm cum ὀῤῥῷ lactis obtinet, quo nomine primario *aquoſa ſereaque pars lactis* innuitur, ſeu uti *Heſychius* habet, τὸ ὑδατῶδες καὶ τὸ ὑφιςάμενον τοῦ γάλακτος: Quemadmodum enim lacti coagulato ſerum ſupernatat, & circumcirca diffluit, ita & ſanguini, aquoſus iſte humor, ubi ex vaſis effuſus concrevit: Unde *Hippocrati* etiam ὕδωρ καὶ ὑδρῶδες τοῦ αἵματος audit, notante *Foëſio in œcon. p. 633. Platoni* verò in *Timæo*, & *Galeno* ἰχὼρ vocatur, ceu *Caſp. Hofmannus collectan. de ichor* oſtendit. Quamvis uſitatius *ichoris* vocabulum pathologice & in ſtatu p .n. accipiatur, duplici modo: uno, quando ὑγρὸν in ſanguine, copia tantum excedit, & dicitur *ichor mitis*, πρᾶος; altero, quando qualitate etiam ſalſa acri & mordaci peccat, unde αἷμα ἰχωρῶδες efficitur, quemadmodum *Foëſius in œcon. hipp. Mercurialis l. 4. V. L. c. 13. & præpr. Hofmannus l. c.* prolixius docent. Hoc autem ſerum ſanguinis licet ad nutritionem ineptum cenſuerint veteres, neceſſarios tamen uſus corpori præſtare docuerunt, & quidem primarium duplicem, quatenus nimirum tum cibis commodius digerendis ac macerandis, tum chylo & ſanguini per vaſa anguſtiora devehendis inſervit. Ob hanc enim cauſam potiſſimum, meritum eſt, quod ſeu ab *Hippocrate*, ſeu à *Theſſalo*, Hippocr. filio (de auctore enim certo non conſtat) ὄχημα τῆς τροφῆς, *vehiculum nutrimenti*, diceretur.

VI. Hæc eſt notio nominis Seri juxta Veteres, quam variè immutant Recentiores, qui per *Serum* liquorem non merè aqueum, nec ſimplex ſucci nutritii vehiculum, ſed humorem quoque laudabilem ac nutritium intelligunt. Inſtituto enim accuratiore ad ignem examine liquoris illius, cui grumus innatat, cum deprehenderent, partem ejus inſtar albuminis, ovi coagulari, partemque in auras evadere, non ſecus ac ſerum lactis exploratum ad ignis fidem partes aliquas tum caſeoſas tum butyraceas in ſe continere oſtendit: aut infuſo eidem liquore acido, in coagulum præcipitari obſervarent; inde collegerunt: Serum hoc non nudum ſanguinis eſſe vehiculum, ſed in duos liquores diſtinguendum, in *Serum coagulabile*, (caſeoſis in lacte particulis analogū, *Seri* nomine κατ' ἐξοχὴν à *Whartono* inſignitum,) & *aquoſum*; quorum illud non tam nutrimenti vehiculum, quàm ipſum ſit nu-

ſit nutrimentum, hoc verò conſtituat illud ὄχημα τῆς τροφῆς, ex Hipp. tantoperè celebratum. Quidam paulò altius progrediuntur, & cum ipſi etiam grumo plurimum gelatinoſæ ejusmodi ſubſtantiæ intertextum animadverterent, *Seri* nomen ad hanc etiam transferunt: adeò, ut ex horum mente, totâ maſſa ſanguinea in duas partes integrantes diviſa, Sanguinem ſc. ac Serum, per illum rubicundam præcisè portionem, arte ab altera ſeparabilem, per hoc verò reliquam intelligendo maſſam, mole & pondere alteram longè excedentem; non amplius τὸ ὑδατῶδες tantum, ſed τὸ κολλῶδες etiam καὶ γλισχρῶδες τοῦ αἵματος, *glutinoſum ac gelatinoſum in ſanguine*, *Seri* nomine veniat.

VII. Cæterùm, quid in hoc opinionum divortio utrobique deſiderari poſſit, non eſt, ut prolixius exponamus. Sufficiat, ulterius notaſſe, portionem hanc aqueam particulis ſalinis fœtam, nec ſulphureis prorſus deſtitutam, ſerum illud eſſe, quod una cum ſanguine arterioſo, (cui triplo majorem *Seri* hujus quantitatem quam venoſo, permiſtam eſſe, experimentorum fide certus aſſeruit *Reusnerus in annot. ad urin. prob. Jod Willichij p. 1. c. 3.*) ad diverſa delatum emunctoria, variis excrementis ſeroſis præbet materiam, & pro diverſitate organorum ſecretoriorum nomen accipit proprietatesque diverſas: Partim enim per renes excolatum tranſit ad veſicam, ſub *urinæ* nomine foras excernendum: partim per arteriolarum carotidum propagines ad glandulas lacrymales delatum guttatim exprimitur, & *Lacrymarum* nomen accipit, partim in habitum corporis diffuſum, & ex capillaribus arteriolarum extremitatibus in glandulas cutaneas excretum per *Sudorem & inſenſibilem tranſpirationem* exit. Specialiorem autem inter hæc ipſa excrementa differentiam prolixius expoſuit *Whartonus Adenogr. c. XXVI.*

VIII. Proximam itaque *Sudoris* materiam è maſſa ſanguinea dum accerſimus: *Primum*, non poſſumus aſſenſum præbere *Deuſingio*, qui *Ex. de depur. alim. p. m. 168.* revocata *Fernelij* ſententia *l. IV. παθολ. c. X.* ab eodem propoſita; *Sudores* ex ipſis præcordijs moveri, hæcque ades primam Sudorum eſſe ſcaturiginem; negat, materiam *Sudoris* omnem una cum ſanguine per vaſa ſanguiflua ad habitum corporis ferri; uſus præprimis præter Ferneliana quæ allegat, argumenta, eadem prorſus ratione,

qua

qua neque totam Urinæ, neque Lactis materiam è maſſa ſanguinea derivari, magna veri ſpecie urget: ſc. quod Sudores ſæpius colore, odore ac ſapore de aſſumptis teſtentur, quod fieri non poſſet, ſi materia Sudorum ſub tot coctionibus ac multiplicibus mutationibus maſſæ ſanguineæ fuiſſet permixta, quum utique ſanguis ipſe non adeò manifeſtam aſſumptorum qualitatem obtinere deprehendatur. Quare ipſi denique non improbabile videtur: magnam partem materiæ per Sudores abeuntis per roriferos quosdam ductus (quos ab interioribus ad exteriora diffuſos ſe inveniſſe gloriatus eſt *Dn. Bils*) in habitum corporis derivari.

IX. Sed nihil efficit. Commentum enim illud de immediatis ejusmodi è prima regione ad ambitum corporis, ad mammas, ad veſicam, &c. protenſis viis, ſolis rationibus, nulla hactenus autopſia, ſenſuumque fide nititur. Sine hac autem in rebus anatomicis rationes omnes lubrico prorſus ſtant talo. Sed & ductus, quos *Bilſius* vocat roriferos, ſeu vaſa recentiorum Lymphatica, contenta ſua non è centro ad circumferentiam, ſed ab exterioribus ad interiora ferre, clariſſimi ſeculi hujus Anatomici, *Bartholinus*, *Sylvius*, *Steno*, *Ruyſchius* &c. ligaturis, flatu, valvularum ſtructura ad oculorum demonſtrarunt. Ipſas autem rationes quod attinet, in iis equidem τὸ ὅτι non vocamus in dubium; *Sudores* enim aſſumpta redolere, obſervationibus Medicorum plurimis compertum habemus. Regibus Indorum connaturatum hoc, ait *Petrus a Caſtro tr. de ign. lamb.* ab uſu frequentiſſimo Bethelis & Cachunde, ut toto corpore Sudorem ſuaviſſimum exhalent. Ita *Sudores* obſervante *Bennetto*, *Theatr. Tab. Veſt. Ex. 29.* ſæpius allium & cœpas olent. Quin ab opio interdum ita perſpirabile corpus redditur, ut Sudor inde prolectus nonnunquam odorem ejus referat, quod teſtatur *Dioſcorides l. 6. c. VI.* ὀσμή τε, inquiens, τοῦ φαρμάκου διὶ ὅλου τοῦ σώματος ἐκδίδοται, *odor opii toto corpore expanditur.* Imò potulenta, qualia hauſta, per Sudores quandoque evacuantur. Refert enim *Salmuth C. 2. obſ. 28.* Nobilem quendam, dum indulgeret potui cereviſiæ, ac ſaltationibus corpus nimis commoveret, potum omnino crudum per Sudorem evacuaſſe, ita quidem, ut & cereviſiam ſapuerit, & veſtes tinxerit, & veſtigia reliquerit.

Et

Et *Bartholinus Cent. Anat. 2. hiſt. 62.* Studioſi cujusdam meminit, qui à liberaliori potu vini Hiſpanici, poſtridie è crapula languens, lapſus fuerit in Sudorem rubro colore tinctum, ſimilemque illi, qui vino hauſto inerat. Neq; tamen hæc tanti ſunt ponderis atque momenti, ut exiſtentiam ejusmodi viarum evincant, quippe quæ absque ſuppoſitis ejusmodi viis, commodè explicari ac dilui poterunt. Quod enim aſſumpta quandoque ſub eodem colore ac ſapore per Sudores excernantur, ſub ordinario ambitu id contingere, probabile fiet, ſiquidem revocemus in memoriam, eſſe id de aſſumptis intelligendum, quæ copia & qualitate exſuperant, aut exitum ante urgent, quam ullam in vaſis aut viſceribus mutationem ſubire potuerint. Unde cum ſanguini ob copiam laxius cohæreant, nec eidem ob immutatam partium cohæſionem ac texturam aſſimilata fuerint, quid mirum, ſi quemadmodum ſæpenumero in Diabete per urinas, ita laxioribus præprimis exiſtentibus poris cutaneis, per Sudores eadem ſub ſpecie rurſus excernantur? Neq; verò novum hoc atque inſolens naturæ videtur, cum nec chylum ipſum primis circuitibus mutari perfectè in ſanguinem, ſed ſecta aliquot à paſtu horis vel homini vel bruto ſano vena, portionem illius in ſuperficie hujus ſæpiſſime notarit *Bellinus* atque alij. Quod verò Sudores quandoque aſſumpta redoleant, & qualitates eorum retineant, non item ſanguis; eadem id quidem facilitate, qua à *Deuſingio* aſſeritur, negari poteſt. Sanguis hirci ad comminuendum calculum commendatur, ſi is herbis ad id efficacibus maximè paſtus fuerit: & ſanguis anatum ob venenatas beſtiolas, quas ingerunt natantes, venenis obſiſtere creditur. Et ſi de carnibus verum eſt, quæ ratio de ſanguine neget, materia carnium? Carnes ovium thymo, turdorum junipero veſcentium ſuaviſſime odoratas ſapidasque evadere, quin & gallinarum purgatrices fieri, arte quadam ſaginandi, quis neſcit? Anſeris pabulum ſi eſt rapa, caro quam non jucunda fit? Adde quod hæ qualitates in ſeroſis excrementis tanto ſe oſtendant promptius, quanto potulenta, materiam ſero præbitura, aptius ſunt ad extrahendas & retinendas aſſumptorum tincturas menſtruum.

X. Deinde notamus illorum opinionem, qui ex elevatis ab imò ad ſumum corporis, ibiq; condenſatis vaporibus, Sudores

compingunt. Vetuſtiſſima ſanè hæc eſt ſententia. Nam & *Hippocrates*, ſeu quicunque alius Auctor fuit libri περὶ φυσῶν, *Sudorem ex ſpiritu in humorem converſo, poſtquam ad corporis meatus, impegerit*, progigni docet: τοῦ δὲ πνεύματος προσπίπτοντος πρὸς τοὺς πόρους τοῦ σώματος, οἱ ἱδρῶτες γίνονται. Cui ſententiæ accedens *Ariſtoteles*, *S. 2. probl. 20.* ait: Ἐκ τοῦ πνεύματος πυκνουμένου ὑγρότης γίνεται, ὁ καλούμενος ἱδρώς. Quin & *Theophraſtus l.* περὶ ἱδρώτων, exiſtimavit, haud ſecus fieri Sudorem, ac madorem illum qui apparet in parietibus balneorum; aut quomodo ex vaporibus è terra elevatis & in ſuperiore aëris regione in aquam verſis, in macrocoſmo pluviæ generari ſolent. Idem denique experientia urgere videtur, qua compertum eſt, eos, qui æſtuantes frigidam multam affatim ingurgitaverint, mox Sudore immodico totos diffluere, quum tamen aquæ copia in habitum corporis per vaſa ſanguiflua tam citò tranſiiſſe non poſſit; quare reſtat, ut vapores ab aqua excitatos, perque totum corpus disjectos, Sudoris illius repentini cauſam ſtatuamus cum *Fernelio*, qui *l. 4. παθ. c. 10.* talem Sudoris generationem tradidit.

XI. Verum multis obſcuritatum nebulis veritas heic obducta videtur. Quis enim facilè credat, craſſos vapores aqueos per denſas adeò viſcerum tunicas, ſuccingentes ventrium membranas, carnes, pinguedinem tanta in copia appellere ad cutim? Cur non ante potius denſarentur in aquas, quam cutim attingerent, in tot utiq; offendicula impingentes, ijsdem retinendis ac coercendis aptiſſima? Præterea, cum omnis Sudor ſalſus ſit (ἱδρὼς πᾶς ἁλμυρὸς, ὁ δὲ πορρωτέρωθεν, ἁλυκώτατος, *ſalſiſſimus verò, qui longius per habitum corporis penetrarit*, inquit, *Theophraſtus l.* περὶ ἱδρώτων) ſi hæc opinio vera eſt, quæ ratio ſalſedinis aſſignari poterit? In Ferneliano verò exemplo, quantus calor neceſſarius foret, qui potam aquam extemplo in vapores diſtrahat, quemadmodum videmus aquam lateri candenti, aut ferro ignito affuſam? Et quidni abſque tali evaporatione, frigida copioſius ingeſta, ventriculi ac inteſtinorum activitate haudquaquam indigens, adeoq; ſine mora venas tum Lacteas, tum Gaſtricas quoque ac Meſaraicas ſubiens, (nam & has aliquam potulentorum partem excipere veriſimile multis videtur) ſub ordinario hoc ambitu, perque vaſa ſanguiflua, mediante rapido cordis motu, quem in

æſtuantibus adeſſe pulſus oſtendit, in habitum corporis quam celerrime diſtribui, perque laxatos cutis poros promptiſſime expelli poterit? Quanquam non tam materialiter, quam efficienter magis, frigidæ potus in æſtuante corpore copioſo & ſubitaneo Sudori anſam præbere videtur, quatenus ſc. actualis potus aſſumpti frigiditas, uti ipſius ventriculi, ita tonum quoq; partium cutanearum (ob mutuum ſc. conſenſum, qui nervoſo ac membranoſo generi in universa corporis machina, præpr. verò præcordiis cum his partibus intercedit) laxat, porosq; aperit; tum ipſius quoq; ſanguinis fervorem derepente compeſcit, ipſumque medio quaſi in curſu ſiſtit, unde ſeroſæ ad ambitum corporis protruſæ portiones relinquuntur, coëuntibus magis fibroſis dictis. Id ipſum autem non ſine inſigni ſæpius noxa contingit: unde & aurigæ ſedulo cavere ſolent, ne equis poſt velociorem curſum ſtatim permittant frigidæ potum, niſi fortaſſis extemplo ad curſum rurſus incitentur, ne ſc. ſanguinis inde coagulatio atque hinc putredo ſequatur.

XII. Nec denique *tertio*, illorum ſententiæ ſubſcribere audemus, qui nervos quoque copioſiſſime cuti inſertos partem aliquam humoris per Sudores abeuntis ſubminiſtrare contendunt. Filia nimirum hæc quaſi eſt decantatiſſimæ illius de liquore nervoſo (ſeu is nutriendis partibus, ſeu vehendis tantum ac coërcendis ſpiritibus animalibus dicatus ſtatuatur) hypotheſeos. Quæ uti in Anglia primum nata atque educata, & nunc ibidem ferè communis eſt; ita paucorum è Noſtratibus præſertim, aſſenſum hactenus impetrare potuit. Neque enim ratiocinijs illis, quibus nervei ſucci exiſtentiam orbi perſuadere volunt, tantum evidentiæ ſubeſſe videtur, quæ omnem dubitandi occaſionem nobis præſcindant: nec ſenſus hactenus humiditatis aliquid in iisdem demonſtravit, in quo tamen cardo rei volvitur; quandoquidem nec ligati ſupra vinculum intumeſcunt, nec diſſecti aliquid humiditatis plorant, quorum utrumque tamen fieri deberet, ſi ſucculentia aliqua à cerebro impulſa ſcaterent. Et quamvis varia his difficultatibus quæſita fuerint effugia, ea tamen omnia minus eſſe tuta, præ cæteris *Exc. Dn. Bohn. Circ. Phyſ. prog. XIX.* ſatis oſtendit. Quare nec Nos heic ulterius morati, ſolam maſſam ſanguineam proximum & immediatum Sudorum promum condum agnoſcimus.

Pergi-

XIII. Pergimus itaque ad Vias, per quas tranſlatum ad ambitum corporis ſerum in ſuperficiem illius effunditur: ad ſpiramina ſc. foraminula, poroſque cutaneos. Hos *Illuſtris Boylaus* à continuo fuliginum tranſitu eleganter appellat parvos corporis noſtri caminos, reſpectu ſc. ad magnum illum caminum, arteriam aſperam. Cæterùm Veneranda Antiquitas credidit, poros hos nihil eſſe aliud, quam extrema venarum & arteriarum capillarium oſcula, per quæ ſeroſitates fuligineſque & morboſæ quandoque mineræ eliminentur. Verùm, uti hæc ſententia non eſt ex omni parte rejicienda, ita nec ſimpliciter applauſum invenit apud curioſiores noſtri temporis Anatomicos, cum quotieſcunque ſub ſudatione oſcula vaſorum hiarent, i. e. pori aperirentur, toties metuendum foret ſanguinis profluvium. Quin, ſi ex Naturæ utpl. uniformiter operantis ſimplicitate concludendum, cum illa nullibi præterea in corpore abſque colatorio in vaſis ſequeſtrationem inſtituat, ſed ubicunque fluidi alicujus, ſeu utilis ſeu inutilis, ſecretionem depurationemque molitur, ibi aut glandulas locaverit, aut analoga ipſis ſecretoria organa, quorum beneficio ſecretiones iſtæ fiant: Sane nec cum Veteribus, capillaribus his, ſecretorium materiæ per Sudores abeuntis munus concedi debet, ſed pariter ad glanduloſam ejuſmodi texturam confugiendum erit, quam nec heic deeſſe, Lyncei Anatomicorum hujus ſeculi oculi, inprimis *Borrichij Stenonis* ac *Malpighij*, fecere fidem. Ii nimirum obſervarunt, poros hos cutaneos peculiaria eſſe vaſcula, tubulorum inſtar, copioſiſſima, quæ è crebris fibroſorum ac nerveorum cutis ſtaminum interſtitijs, inter duos papillarum nervearum, tactus organum conſtituentium, ordines emergentia, è totidem glandulis, milii grana referentibus, (unde *miliarium* ſuſceperunt nomen) partim cuti intertextis, ſuaſque radices in ſtrato hujus inferiore figentibus, partim cuti ſubſtratis, eamque inter ac pinguedinem deliteſcentibus, in ſuperficiem cutis exporriguntur. Atque in his quidem glandulis liberatas caloris vi & mechanica earundem ſtructura à ſanguinearum amplexibus ſeroſas particulas ſecerni, perque tubulos illos extra ſuperficiem corporis profundi: unde illæ quidem Organa Sudoris Secretoria, hi verò Excretoria, recentioribus Anatomicis vocantur. Cæterùm, licet exiliſſimæ hæ ſint glandulæ in

ſanis

ſanis corporibus, viſumque pene fugiant, in morbidis tamen ijsque præſertim vel phthiſicis (alias multum ſudantibus) ac macilentis, vel hydropicis conſpectiores evadunt: in illis quidem, quod deliquata, quæ easdem obvolvebat, pinguedine, nudæ magis reddantur; in his verò, quod à morboſa ſeri ſtagnatione compages earum magis intumeſcat, pari ratione ac alias quoque glandulas vix viſibiles, præſertim plexibus choroideis intertextas ſtagnantibus in ventriculis cerebri aquis, mirum in modum ſæpiſſimè tumefactas vidimus. Ut adeò nec de exiſtentia harum glandularum cum ductibus ſuis excretorijs, nec de aſſignato iisdem uſu, ullus cuiquam ſcrupulus ſupereſſe poſſit.

XIV. Urget nunc noſtram meditationem, quo ritu intra has glandulas, ſeroſus ille latex, à particularum ſanguinearum amplexibus liberetur, ſecernatur & Sudoris in modum erumpat. Sub ordinario equidem & placido ſanguinis motu, continuo ſeroſas quasdam particulas, ſalinis & ſulphureis fœtas, intra has glandulas à reliqua maſſa ſecerni, ſed vel ob ſui paucitatem, vel ob aëris determinatam habitudinem, inſenſibiliter exhalare, certum eſt. Quando autem hæc effluvia fiunt ſenſibilia, i. e. quando ſub guttularum denſitate emanant, ſupponendum 1. Sanguinem tunc per cor & univerſum corpus celerius circumagi, id enim ex pulſu ſudantium celeriore & frequentiore patet. 2. Calorem vitalem intenſiorem reddi, motumque ſanguinis inteſtinum augeri, nunc magis, nunc minus, pro diverſa cauſarum occaſionalium ratione, id quod celeriori pulſui addita magnitudo, ſenſibilior totius corporis calor ac æſtuatio, habitûs item corporis rubor & mollities & aliqualis turgeſcentia ſatis declarant. 3. Seroſas maſſæ ſanguineæ particulas ſub tali ſanguinis ſtatu magis rarefieri, à reliqua maſſa laxari, & qua data porta, ad abſcedendum & exhalandum diſponi. 4. Ipſas denique glandulas ſubcutaneas poroſiores, & ductus earundem excretorios patentiores eſſe. Hinc dum ita per arterias ad ambitum corporis rapidius & intenſius movetur ſanguis, non poteſt à venulis tam promptè totus excipi, langueſcente præpr. circa has ipſas impellentis impetu, quin ulteriori per vaſa arterioſa affluxu ſeroſæ particulæ & uberius & citius intra laxiores glandularum alveolos,

una cum imbibitis ex ſanguine quibusvis heterogeneis, nonnunquam ſulphureis, quandoque ſpirituoſis, ſæpiſſime ſalinis, à reliqua maſſa ſecernantur, & ſub eodem ſanguinis impulſu, utrobique qua ſecretionis, qua excretionis negotium promovente, ad poros excretorios, glandulis continuos, ceu proportionatos particulis his canaliculos, urgeantur, ubi accedentibus continuo alijs atq; alijs, denſius agglomeratæ, ſub guttularum ſpecie, extra corporis ſphæram proſcribuntur; reliquo interim ſanguine patentiores venarum ductus ſubeunte, quippe cui præ particularum denſitate atque unctuoſitate, viæ hæ, quæ ſero patent, ſunt occluſæ; non ſecus, ac mucilago aliusque liquor intime denſatus, poros filtri non tranſit, ſed retinetur. Atque hæc ferè in ſpontaneo Sudoris profluvio contingere ſolent; non enim omnem Sudorem hunc cauſarū concurſum ſupponere, ex dicendis patebit.

XV. Hæc ipſa verò Nos ducunt ad Cauſas Efficientes Sudoris. Has autem appellamus, non quæ Serum, Sudoris materiam generant, ſed quæ genitum movent, ejusque excretionem per poros cutis promovent. Ejusmodi cauſæ aliæ ſunt primariæ, aliæ ſecundariæ. Primarium impellens internum Sudoris Calorem dicimus eſſe atq; Spiritus, ceu præcipua Animæ ad exercendas vitæ functiones inſtrumenta; Quibus proxime jungimus ipſum ſanguinis Motum progreſſivum ſ. circularem, a perenni Cordis pulſu dependentem. Quoniam tamen tum Calor tum Motus ſanguinis circularis, intra conſuetos limites ſubſiſtentes, plerumq; ad ejiciendum per Sudores ſerum non ſufficiunt, ſtimulo utpl. opus habent, quem à cauſis cum externis, tum internis, magis minusve violentis expectant. Cauſarum efficientium ſecundariarum ſeu occaſionalium rationem habent, quæ quoquo modo Sudoris eruptionem promovent; ſeu id fiat magis per ſe, ſeu per accidens: idque vel poros aperiendo ſudatorios, vel ſeri à ſanguine diſceſſum facilitando, ſeu denique calorem vitalem, motumque ſanguinis duplicem nunc moderatius excitando atque augendo, nunc impetuoſius concitando, quorſum præcipuè ebullitio febrilis ſpectat. His enim tribus modis quæcunque efficienter ad Sudoris generationem concurrunt, agere videntur.

XVI. Hæc ad quidditatem atque eſſentiam Sudoris pertinentia talem nobis ejusdem definitionem ſubminiſtrant:

Sudor

Sudor eſt tenue ac ſeroſum maſſæ ſanguineæ excrementum, aliqua ſalis ſulphuriſque portione impregnatum, quod per arteriolas capillares in glandulas cutaneas effuſum, ibidemque vi caloris & mechanica earundem ſtructura, à ſanguine ſeparatum, per patentes cutis poros, humoris ſpecie, exprimitur.

XVII. Perſpectâ quidditate, ad differentias deſcendimus. Non enim unam ſemper excrementi hujus cutanei eſſe ſpeciem, ſenſus fidem facit. Præpr. autem operæ pretium erit, notaſſe, Sudorem alium eſſe *Bonum*, *ſalutarem utilem*, *innocuum*, *ac ſecundum naturam:* alium vero *malum*, *noxium*, & *præternaturalem.* Ad priorem claſſem rurſus pertinent *Spontaneus Criticus* & *Artificialis.*

XVIII. Per *Spontaneum Sudorem* cum plerisque Auctoribus illum heic intellectum volumus, qui intra limites ſanitatis & citra noxam, à cauſis non naturalibus neceſſario nos alterantibus cietur. Quamvis nec ex *Galeni* mente ita commodè appellari videatur, qui *Comm. 3. ad l 1. Epid.* per *ſpontaneum* intelligit, *quicquid non habet cauſam externam & evidentem*: quo ſenſu etiam accepit *Hippocrates*, cum ſ. *2. aph. 5.* κόπυς αὐτομάτυς, *Languores Spontaneos* vocat illos, qui ἄνευ φανερῆς προφάσιος, *ſine cauſa manifeſta* oriuntur: Nec ex communi alias vocis hujus acceptione, qua *quicquid non coactè ſed voluntariè atque ex proprio fit arbitrio, Spontaneum* denotat. Majori autem jure hoc nominis meretur ille, cujus D. *Auguſtinus l. 14. de C. D. c. 23.* meminit, ubi refert; noviſſe ſe hominem, qui quoties vellet, ſudare *ſponte* poſſet. Quod idem ad hunc *Auguſtini* locum de ſe ipſo teſtatur *Ludovicus Vives*, referente *Zvvingero Theatr. vit. hum. vol II. l. V. p. 419.* De nomine tamen, monente *Galeno*, non multum litigaturi, ubi de re conſtat; ſeriem potius illarum Cauſarum, quatenus ab iisdem Sudor cietur, paucis attexemus.

XIX. Inter eas eminet 1. *Aër ambiens calidus* ſeu natura ſeu arte talis. Duplici autem modo Sudores movet. 1. Quatenus effluvia calida in maſſam ſanguineam delata, ipſam exagitant, fundunt & attenuant, duplicemque illius tum inteſtinum tum progreſſivum motum adaugent. 2. Quatenus Calor

ambiens

ambiens poros laxat atque aperit, & ſic erupturo Sudori viam facilitat. Aperit autem poros, quia caloris quaſi titillantis motus, univerſo ſyſtemati nervoſo valdè gratus, tantum ſuavitatis confert fibris cutaneis (pro quarum ſc. varia tum contractione tum relaxatione ipſi quoque variè nunc occluduntur, nunc reſerantur ſudatorij tubuli,) quantum moleſtiarum à frigore, nervoſo generi inimiciſſimo, patiuntur. Ut igitur hujus occurſu irritatæ fibræ tendi, cutis corrugari, pori occludi, & anſerinæ pellis facies emergi ſolet; Ita illius grata applicatione demulceri ſenſus, relaxari fibræ, & ita Sudoris portæ aperiri videntur. II. *Aſſumpta calidiora*, e quibus præcipue laudantur alimenta ſale pipere & aromatibus condita; ſpiritus item vini, cereviſiæ fortioris, & vini generoſioris potus, quatenus aut ſanguinem particulis activis, velut ſtimulis imbuunt, aut eidem efflagranti pabulum ſulphureum ſubminiſtrant, uberiorem materiæ halituoſæ difflationem, ac proindè ſeri abundantis exſudationes majores cient. III. *A' motu corporis citatiore & laborioſo*, ut in curſu, ſaltatione, ponderoſi vectione, tractione & ſimilibus, dum rapidiſſime circumagitur & attenuatur maſſa ſanguinea, una cum ſpirituoſis ac ſulphureis corpuſculis plures quoque ſeroſitates ad ambitum corporis protruduntur, quæ reduci inhabiles, ſudores conſtituunt. IV. *Quies*, licet oppoſita motui, Sudorem potius impedire videatur, retardando ſanguinis motum, excrementorumq; ad emunctoria iter remorando, ſi tamen præceſſerit motus vehementior, & ambiens aëris frigiditas conſpiraverit, præcipitationis & ſequeſtrationis ſeri in ſanguine celeritati plurimum favens, teſte *Ariſtotele*, Sudoris eruptionem inſigniter promovet. V. *Somnus* utut quasvis alias excretiones ſiſtere valeat, Sudores tamen promptiſſime profluere facit, etiam in ijs, qui vigilantes tale quid haud ſentiunt, aut interdum non absque labore aut difficultate elicere valent. Languet autem in ſomno ſpirituum impetus, visque eorum elaſtica, hinc debiliori radio emanando, minus quidem tendere motrices fibras in partibus præſertim exterioribus valent. Factis verò permeabilioribus undique, ex remittente fibrarum tono, meatibus, & univerſo corpore ſic reddito magis perſpirabili, quid mirum ſi ſeroſæ humiditates, laxius in ſanguinis gurgite fluitantes (neque enim in ſomno ſem-

per

per fit Sudor, niſi corporis repletione præſente, 4. aph. 41.) per patentes tunc cutaneos meatus, uberius profluant, & Sudore largo corpus irrorent, præſertim, cum ipſe ſanguis in ſomno rapidius per vaſa circumactus, & ſtragulorum applicatione incaleſcens, ad ſudorifici laticis dimiſſionem, magis ſit diſpoſitus? VI. Inter *Retenta*, *Tranſpirationis ſolitæ cohibitio* nonnunquam Sudores accerſit, cujus ratio eſt, quia ſanguis à ventilatione liberiore prohibitus, velut muſtum dolio arcte incluſum, impetuoſius fermenteſcit, proindeque magis rarefactus, circuituque rapidiore circumactus, neceſſe habet in Sudorem exſolvi. Sic olim Hyberni ſolebant febre quapiam laborantes, pannis laneis, aqua frigida madefactis, involvere, ex quo Sudor copioſus ſuccedens non rarò ſolvebat morbum. Simile experimentum apud Anglos etiam bono cum fructu tentatum, *Williſius Ph. Rat. ſ. V. c. 1.* teſtatur. Denique VII. in diverſis quoque *Animi affectibus* Sudores erumpere ſolent. Nam & *Contriſtantibus* ſæpè ut Lacrymæ, ita & Sudor una excutitur. *Neque enim ſolum*, inquit *Antonius Maria Venuſtus*, *in mœrore ingenti Lacrymæ effunduntur, ſed ſæpè eadem de cauſa Sudor à toto corpore emanare conſpicitur.* Idem etiam uſu venit *Lætantibus*, in quibus ſc. calor è profundo corporis ad ambitum explicatus, meatus omnes aperit, ſerumque liquatum eodem motu per poros cutis expellit, quo Lacrymas quandoque movet. Sic etiam *Metus* & *Terror* Sudores frigidiuſculos eliciunt, idque ob pororum hiatum à relaxatione fibrarum cutanearum nimia, ex Spirituum easdem tendentium defectu: qua de cauſa ijsdem interdum & urina involuntarie profluit, aut alvus absque prævia admonitione ſecedit; quanquam hæc magis jam ad ſtatum p. n. referenda ſint. Iracundis ex oppoſito, vel furioſis nullus Sudor emanat, ob concitatiorem ſc. ſpirituum impetum, & hinc fortiorem fibrarum tenſionem.

XX. Sudori Spontaneo ſuccedit *Criticus*, qui contingit, quando in ſtatu morboſo excrementa ſeroſa, variis portionibus vitioſis inquinata, à Natura, humoris peccãtis quantitate ac qualitate ſtimulata, ſubito & cũ ſolutione morbi vel ἐυφορία ægri, per poros cutis eliminantur. Morbos qui Sudoribus judicantur, præprimis expoſuit *Alpinus l. 6. de præſ. vit. & mort. c. 16.* ubi ait: *Frequentiſſime*

tiſſime morbi acuti Sudoribus judicantur. Sudores enim, ait Galenus, omnibus febribus proprij exiſtunt, & præcipuè incendentibus ardentibusve, juvant omnes viſcerum inflammationes, parotides, Lethargos, reliquosque omnes capitis affectus. Non minus & febres ex intermittentibus, quotidianas, ſemitertianas, Sudores judicant, ſed plerumque non ſoli has febres, ſed cum bilioſa pituitoſaq; excretione aut per vomitum, alvum, hæmorrhagiam, &c. Nominantur itaque heîc potiſſimum Febres, ac eæ quidem acutæ, tam benignæ, quàm malignæ. In his enim uti Natura frequentiſſime ſolet inſtituere evacuationes Criticas quasvis, ita præſertim illam, quæ fit per Sudores, ceu non tantum evacuationem præ reliquis omnibus quam maximè Univerſalem, ſed optimam etiam, ac perfectiſſimam Criſeos viam, quæque, ſi rectè ſuccedat, non raro ſemel & una vice, morbum perfectè ſolvit, ut loquitur *Williſius de febr. c. IX.* Reduci etiam ad Sudores hos Criticos non incongruè poſſunt Sudores febrium intermittentium periodici, qui in declinatione paroxyſmorum apparent; quatenus quilibet Paroxyſmus conſiderari poteſt, ceu parvus quidam morbus acutus, cito atq; excretione quaſi critica, & quidem ordinario per Sudores, ad finem perveniens. Dum autem acutos præpr. morbos nominamus, chronicos non volumus penitus excluſos, cum ex obſervationibus fide dignis Doctorum conſtet, hos etiam repentina aliqua & larga excretione fuiſſe ſolutos & judicatos. In ſpecie, legito, ſi placet, ex *obſ. Borrichij in Act. Hafn. T. I. obſ. LXX.* Phthiſin pene deſperatam, obortis Sudoribus Criticis matutinis, nigerrimis, in ſalutem ægræ terminatam. Legito item apud *Schenckium l. 3. rarar. obſ.* Hiſtorias Hydropicorum, per Sudores repentinos perfectè ſanatorum. Quo in caſu Natura videtur eodem artificio uti, reſorbendo ſeroſum excrementum in cavitate abdominis ſtagnans, in venas, & exindè ad ambitum corporis protrudendo, quo utitur, quando vel rupto aliquo apoſtemate in cerebro, materiam purulentam per aures evacuat, aut pus, rupto in pleuritide abſceſſu, in cavitatem Thoracis prolapſum, in vaſa denuo transſumit, atque ad vias urinarias aut inteſtina deducit: Cujusmodi hiſtorias obſervationum Scriptores bene multas paſſim recenſent.

XXI. Signa veri Sudoris Critici alia præcedunt, alia comit-

comitantur, alia ſequuntur Sudoris excretionem. Ex ijs, quæ præcedunt, ſeu quæ futuram per Sudores Criſin indicant, propria quaſi & præcipua habentur Urinæ ſuppreſſio & Rigor. Illa neceſſario præcedit, quia Sudoris & Urinæ eadem eſt materia, Serum. Quod ſi ad ambitum corporis per modum turgeſcentiæ delatum eſt, derogat urinæ excretioni. Rigor à nitroſis portionibus & ſalinis, in ſero evectis ac diſſolutis, & cutim, ſenſu exquiſito præditam, vellicantibus dependet In malignis tamen, iidem Rigores excretionis intercutaneæ purpuræ, puſtularũ & ſimilium ferè ſunt indices. Quibus addi poſſunt, pulſus undoſus fluctuans, anxietudo, reſpiratio difficilior, cutis inflatio, facies rubens, pruritus levior in ambitu corporis, inſomnia aquea &c.

XXII Quoad *Comitantia ſigna*, I. requiritur, ut fiat *materia morbifica concocta.* Per concoctionem autem hanc nihil aliud intelligimus, quam inſigne illud Naturæ opus, quo particulas heterogenas (fermentum febrile, materiam morbificam) quæ in ſtatu cruditatis maſſæ ſanguineæ arctius implicatæ, effervеſcentiam nunc quidem intenſiorem nunc remiſſiorem, immodicam tamen excitabant, mediante illa ipſa fermentatione, ſenſim & ſenſim corrigit, ſubigit, ex eadem extricat, & ad expulſionem, diſponit, donec tandem præ ſpirituum ſumma potitorum actione, ſub vehiculo ſeroſo, ceu commodiſſimo, uno impetu per ſudores expellantur. Unde liquet, Sudorem Criticum non niſi locum habere in ſtatu morbi, ἐν ἀκμῇ, ut & in intermittentibus in ipſo Paroxyſmo, quemadmodum hoc ſolide circa materiam de febribus *c. IX. Dn. Willis* expoſuit. II. Ut fiat *die Critico.* Quinam illi ſint, *Hippocr. ſ. 4. aph. 36.* expoſuit. Neque tamen vel contra rationem vel experientiam facere illi videntur, qui in quemcunque diem criſin cadere poſſe docent. Nam quamvis numerus ille dierum Criticorum Hippocrateus retineri poſſit, ceu ordinarius magis & acutis frequentior; non tamen reliquis diebus vel intermediis, vel etiam ultra trigeſimum quartum ſeſe extendentibus, denegari poſſe criſeos beneficium, recte notavit & demonſtravit per experientiam ex ipſo etiam *Hippocrate, Plempius.* Nec deficit ratio. Præterquam enim, quod motus Critici tum a materiæ morbificæ congeſtione ac turgeſcentia nunc celeriore nunc tardiore, tum a robore & virtute Na-

 turæ

turæ ac caloris in ſanguine, pro diverſitate individuorum quam maxime variante, dependeant; ſæpius item contingit, Naturam in ſe quidem robuſtam, intempeſtivo tamen vel alimentorum vel medicamentorum uſu, vel alia de cauſa, ab opere ſuo turbari; neque tamen ilico victas dat manus, ſed excretionem quam die ordinario perſequi nequivit, perficit alio; vid. *D. Brunon. Dogmat. Med. Gen. p. III. c. VI.* Unde patet, quid de prolixa illa de Diebus Decretoriis doctrina, ad pompam magis, quam ad uſum excogitata, & vel numeri ſeptenarii perfectioni & ſanctitati, vel variis Aſtrorum conſtellationionibus & aſpectibus ſuperſtructa, ſit cenſendum. III. *Ratione quantitatis*, copiam heic quidam ſpectare jubent, nihil enim paucum Criticum eſſe ajunt; quamvis nec hoc perpetuæ veritatis videatur, cum ex decreto *Hippocr. ſ. 1. aph. 23.* τὰ χωρέοντα, ejuſmodi excretiones ex euphoria ægri, minime vero copia, ſed qualitate æſtimandæ ſint. IV. *Ratione qualitatis*, in eo commendatur caliditas, quæ Naturæ vim victricem atque vegetam denotat, calorem in totum corpus ἐπιεικῶς diffundentem. V. *Ratione loci*, e toto corpore erumpat, quod fit ex æquali diffuſione & materiæ & caloris, qui cauſæ morbificæ plena poteſtate dominatur. Vidit tamen *Mercurialis*, largo capitis & faciei Sudore Febrim feliciter depulſam. Ejus rei teſtis quoque eſt *Schneiderus de Catarrh. l. III. ſ. I. c. IX.* Ut nihil dicamus de illis, quos certis tantum quibuſdam partibus ſudare potuiſſe, reliquis ſudori imperviis, memoriæ prodiderunt Auctores, quibus quidem non denegandum videtur criſeos etiam perfectæ, ubi opus foret, per Sudores beneficium: eorum autem qui per omnem vitam uno tantum latere ſudarunt, exempla notata vide *Coll N. C. Decur I. ann. IV. & V. n. 100.* & *Decur. II. ann. II. n. 126.*

XXIII. *Subſequentia* denique veri Sudoris Critici ſigna ſunt morbi & ſymptomatum remiſſio, & accidentium ſecundum naturam v. g. actionum, excernendorum & retinendorum, & qualitatum corporis ſenſibilium redintegratio. His igitur ex ſignis Sudor Criticus æſtimatur. Ex quibus quo plura obtinet, in eo majorem bonitatis gradum exſurgit. Hinc enim inveniuntur apud Auctores, Sudores boni & optimi. In his omnia ſigna concurrunt, in illis quædam deficiunt. Unde Sudores Critici,

tici, ubi vel non præceſſere ſigna coctionis perfectæ, vel qui non ſufficientes, cum tamen morbum levarint, & ſalutem promiſerint futuram, in Claſſe Sudorum Criticorum, ſed imperfectorum, tolerantur.

XXIV. Ultimus in hac Claſſi occurrit *Sudor Artificialis*: qui a Natura, præſidiis Pharmaceuticis dextre & ſecundum artis regulas adhibitis, adjuta, in exoptatum ſalutis eventum e corpore eliminatur. Remedia, quibus arte provocatur Sudor, vel interna ſunt vel externa. Internorum duplex rurſus occurrit ordo: In primo continentur illa Medicamenta, quorum vis conſiſtit in particulis maxime activis, calidis, tenuioribus, ſalinis, præpr. volatilibus, tam liberis & ſui quaſi juris, quam in oleo concentratis, ſulphureis item ac ſpirituoſis, cum facultate attenuante, incidente, aperiente, reſolvente &c. coincidentibus: quæ delatæ in maſſam ſanguineam, juxta diverſam tum ſanguinis conſtitutionem, tum Medicamenti indolem atque apparatum, ſpirituaſcentiam, rarefactionem ac fermentationem ſanguinis adaugent, calorem vitalem intendunt, pulſum cordis accelerant, halituoſitatem ſeri promovent, viſcidos & craſſos humores calore & acumine ſuo incidunt, fundunt & liquant, atq; ita ad promptiorem per poros cutis ſeceſſum præparant. Et hæc quidem per ſe magis, ac manifeſta qualitate Sudores movent. Secundi ordinis Medicamenta Sudorifera illa ſunt, quæ licet fixiora ſint ac torpidiora, frigida item ac terrea, particulisque activis vel prorſus deſtituta, vel modice inſtructa, nihilominus tamen cito & copioſe Sudores provocant, aut corpus ſaltem, ad blandam diaphoreſin diſponunt. Talia ſunt terrea calciformia plurima, v. g. teſtacea omnia, conchæ noſtrates ac marinæ, oculi Cancri, Cornu Cervi uſtum, phil. præpar. lap. Bezoar uterque, terra Lemnia, bolus Armena, Antimonium diaphoreticum, Magiſterium CC. Pulvis Bezoardicus Sennerti, Pannonicus ruber &c. quæ omnia ſub Præcipitantibus nunc dictis militant. Horum autem Medicamentorum vim ſ. ſudorificam ſeu diaphoreticam commode explicant Recentiores, dum docent: Illa non tam per ſe, quam per accidens effectum hunc præſtare; quatenus ſc. vel in primis viis hærentia (quarum limites fixiora illa mineralia terrea, lapidea, vix excedere videntur) vel ſub commodo vehiculo in penitio-

res corporis receſſus delata, particulis ſuis tum terreis, tum alcalinis, Acidum ubivis obvium, (ſæpiſſime non tam mole quam qualitate peccans) in amplexus ſuos rapiunt, abſorbent, invertunt, & a combinatione cum aliis particulis nimis ſtricta divellunt, fermentum febrile peregrinum figunt, bilemque ſpumeſcentem compeſcunt: Unde adeo tum ipſe ſanguis, ob heterogeneas illas particulas tumultuarie antea motus, & nimium efferveſcens ſedatur, & ad ſeroſi laticis dimiſſionem una cum aliis vitioſis recrementis, diſponitur; tum nata inde ſymptomata, quorum occaſione pori cutanei arcte prius ſtringebantur, veluti præcordiorum anxietates, inquietudines, jactationes corporis, agrypniæ, ſiſtunrur ac mitigantur: unde immutato ita ſanguine, apertiſque a relaxatione fibrarum cutanearum, poris, ſub corporis quiete, ac blanda vel a ſtragulis, vel ab hypocauſti calore, incaleſcentia, facillima Sudoris excretio ſuccedit.

XXV. Peculiarem heic conſiderationem meretur *Opium*, de quo mirum, quod cum juxta Venerandæ Antiquitatis decretum frigidum ſit, vimque incraſſandi habeat, ac διαχώρησιν humorum potius impedire ſoleat, Sudores tamen potenter moveat, ita quidem, ut Sudoriferorum apex ſalutetur *Dn. Wedelio*, & inter Sudorifera excellere dicatur *Walæo Meth. M. p 65.* hanc vim diaphoreticam adeo rigoroſe urgenti, ut, quod ipſa Theriaca ac Mithritatium Sudorem moveant, hoc omne admixto deberi Opio, ſtatim ſubjungat. De cujus tamen aſſerti veritate multi non citra rationem dubitare videntur, qui concedunt equidem, inſigni vi diaphoretica pollere Opium, aſt omnem vim diaphoreticam qua Electuaria illa prædita ſunt, ſoli velle Opio acceptam referre, poſtulatum eſſe nimis liberale dicunt. *Miſerrimus eſſet*, inquit *Hoffmannus M. M. l. I. c. XI. p. 151. & deteſtandus potius foret Theriacæ & Mithridatii uſus, ſi vim ſuam ſudorificam ſoli deberet Opio, quaſi præter hoc ipſum non alia eſſent ingredientia alexipharmaca diaphoretica, quæ per ſe Sudorem moverent.* Utut ſit, experientia tamen & obſervationibus firmata habetur vis illa Opii Diaphoretica: de ejus itaque cauſa non fruſtra quæritur. Imprimis autem nota eſt *Helmontii* aliorumque ſententia, qui, uti ſulphuri ejus prompte reſolubili, vim anodynam, narcoticam, ita ſali ejuſdem volatili acri, quod ipſi ceu omnibus reſinis, de quarum na-

tura participat, copioſe ineſt, vim diaphoreticam adſcribunt. Hanc ſententiam in dubium vocat *D. Ettmüllerus, pecul. diſſert. de vi Opii diaphoretica,* negans Opio ullum jus eſſe alterativum immediate in ſanguinem, (niſi quatenus ſecundario, mediantibus ſpiritibus animalibus id fit) ductus inprimis ab exigua ſalis hujus portione, in unaquaque doſi ordinaria (nam de conſuetudinis legibus, doſin Medicamentorum multipliciter determinantibus, non attinet dicere) occurrente; quæ non potis ſit, maſſam ſanguineam ad plures libras aſcendentem commovere, & ad Sudorem diſponere; quod idem animadvertit etiam *Williſius Pharm. rat. ſ. VII. c. I.* Hinc ipſi potius, ceu ante eum *Schenckio* etiam atque *Hoffmanno l. c.* probabile videtur, Opium per accidens Sudoris profluvium adjuvare; ligando ſc. ſpiritus animales, (quod qua ratione fiat, pulcherrime expoſuiſſe videtur *Dn. Borrichius, diſſ. de ſom. & ſomnif. θ.21.*) illiſque adeo peculiarem ſegnitiem ac torporem, inque movendis partium organicarum fibris languorem inducendo. Quo ipſo vel ſponte ſequitur, fibroſorum quoque cutis ſtaminum tonum ac tenſionem adeo relaxari, ut flaccidiore hinc reddita cute, glandulæ ſpongioſiores factæ copioſius emulgere ex maſſa ſanguinea ſerum, & uberius per tubulos excretorios patentiores excernere valeant. Qua quidem ſententia probabilior non occurrit. Hinc enim quod ita ſudationem tantum promoveat Opium, nec vero ſufficiat ad Sudoris excretionem, cutis cibrum ad tranſcolationem, per meatuum aperturam rite ſe habere niſi & ſanguinis alteratio ac quaſi fuſio conſpiret; raro ac vix ſolo Opio, pro Sudorifero utuntur prudentiores Medici, ſed appropriatis ſudoriferis ſociant, idque in iis potiſſimum caſibus, quando ſymptomata urgentia impedimento ſunt, quo minus ſudare queant ægri. Nullum enim ſymptoma urget, quin ſpirituum animalium p. n. impetus vel efficientis cauſæ proximæ, vel concomitantis ſaltem ratione habere ſoleat. Unde ſub mutuo partium in œconomia animali conſenſu etiam fibræ cutaneæ facile contrahi, & coarctari pori Sudoris excretorii poſſunt, quorum relaxatione Opium dicto modo præſtat.

XXVI. Inter externa, quæ Sudores e toto corpore eliciunt, eminent *Balnea calida,* atque hæc vel naturalia ſeu Thermæ, quæ ruſus vel ſimplicia ſunt, quæ nihil in guſtu ſaporis extranei

nei exhibent, præter aquæ propriam dulcedinem; vel medicamentoſa, variis exhalationibus ſulphureis &c. permixta, pro diverſa mineralium, quam referunt, indole, diverſas operationes edentia, & plerumque vi calefactoria & attenuante pollentia, ad Sudorem commodiſſima. Vel artificialia, eaque iterum vel humida, vel ſolida, vel vaporoſa, Laconica dicta, quorſum domunculi & carceres medici pertinent. His ſuccedunt *fotus*, quibus partes aliquæ ſolæ deduci poſſunt ad Sudorem, fiuntque vel ſola aqua calente, oleo, lacte, vel Decocto Plantarum in lacte, vel aquâ vel juſculo vel vino, addito nonnunquam ſpiritu vini, applicando liquorem calentem vel ope ſacculorum, quibus incluſæ ſunt plantæ, vel pannorum laneorum, liquori immerſorum, vel ſpongiarum, vel ubi externa humiditas metuitur, ope veſicæ bubulæ &c. Pertinent huc etiam *inunctiones variæ ſudorificæ, ſuffumigia cerata, veſicatoria* &c. de quorum apparatu cum prolixe egerit doctiſſimus *Baricellus l. IV. de Hydr. nat. c. II.* non libet nobis de iisdem eſſe prolixioribus. Modum tantum eorum operandi quod attinet; non videntur hæc remedia Sudores movere, quod humores vitioſos in corpore deliteſcentes, ad ſuperficiem cutis attrahant, ut nonnulli loqui amant; cum tractio illa, quæ in medicamentis olim ſuppoſita fuit, licet non videatur ab inſtitutis Naturæ tam aliena, ut irrideri prorſus mereatur, ob certas tamẽ conditiones in corpore obvias, nullo modo ibidem exerceri queat; ſed quod tũ particulis ſuis aqueis vel oleaginoſis cutis aſperitatẽ emolliant ac poros laxent, tum ſpiculis ſuis igneis, acribus ſalinis cutim ſubeundo, in obvia ſtatim vaſa penetrent, & mediantibus iis cum maſſa ſanguinea per totum corpus circulata, efferveſcentiam in ea ſolito majorem cieant, illius compagem nimis ſtrictam reſerent, humores fundant, adeoque excrementa ſeroſa aliaque νοσερὰ prius inviſcata, per Sudores expellant. Ut proinde eadem fere ſit ratio operandi in ſudorificis his exterius applicatis ac ore aſſumptis, hoc ſolum diſcrimine, quod hæc multo facilius in maſſam ſanguineam penetrent, quam illa, cum & pellicula ſuccingens ſuperficiem ventriculi & inteſtinorum, ſub qua ſtatim vaſa occurrunt tum ſanguinea tum lactea, tenuior ſit quam cuticula & cutis; ac in Sudoriferis externis magna pars virtutis ſudorificæ, antequam miſceatur ſanguini, vel

per

per calorem aëris externi abrepta, vel ipſa per ſe exſpirans, vel ab exſpiratione corporis promota, diſpergatur in auras, quod internis accidere nequit.

XXVII. Uſum enarratorum hactenus Remediorum in Medicina quod attinet, is quidem adeo amplus eſt, ut jure dixiſſe videatur *Dn. Wedelius Amœn. Mat. Med. l. II. ſ. II. c. VI.* Mancam, imo nullam eſſe Medicinam, his ſi carere oporteat: atque alibi: Quartam morborum partem hiſce medicamentis curari. Conferunt autem in genere; ubi excutiendum ſerum ſuperfluum; ubi viſcidi, tenaces ac craſſi humores incidendi ac fundendi; ubi ſubſiſtens aut ſtagnans vel in coagulum abiens Sanguis ac Serum reſolvenda, inque motum cienda; ubi refrænanda nimia ſanguinis ebullitio ac efferveſcentia; vel denique ubi quæcunque inquinant, conſpurcant, vel male habent Maſſam ſanguineam, μιάσματα peregrina, febrilia, maligna, contagioſa, vel intus genita, vel extrinſecus inducta, à centro ad circumferentiam expellenda. Hinc in lue venerea, ſcabie, elephantiaſi, antiquis & ſordidis ulceribus nihil his utilius. Creberrimi item ac laudatiſſimi uſus ſunt in arthritide, præſertim vaga ſcorbutica, iſchiade, catarrhis & & morbis quibusvis à colluvie ſeroſa oriundis. Proſunt etiam in inflammationibus, doloribus ac tumoribus, tanquam effectibus circulationis impeditæ, in contumacibus capitis doloribus, phrenitide, ophthalmia, tonſillarum tumoribus, pleuritide, eryſipelate, vulneribus, contuſionibus, &c. In caſu ab alto utramq; ſæpius abſolvent paginam. In paralyſi quoque, utut diſſentiant Auctores, magno plerumq; cum fructu adhibentur. Nec in cholera, paſſione colica, diarrhœis ac dyſenteriis (præſertim ubi malignitas ſubeſſe videtur) uſus eorundem reformidandus. Præpr. autem Sudorifera Febrium habentur Panacæa, tam continuarum quam intermittentium, tam benignarum quam malignarum, (quanquam non promiſcue aut ſine delectu uſurpanda) quippe in quibus Natura materiam febrilem ſpontaneo motu ſæpiſſime per Sudores exterminare ſolet. Nec tamen cum *Helmontio tr. de febr. c. IX.* dicere auſim; nullam febrim ſine Sudore integre finiri, nec ullum febricitantium perfectam ſanationem ſibi polliceri poſſe, qui ſudare nequeat: aut (uti c. *XVI* loquitur) unica

D falce

falce (remediis ſc. ſudoriferis) omnium febrium cauſam occaſionalem amputari. Nam ut de hectica taceamus, quam fere omnes excipiunt; Experientia præterea ſæpius docuit, quasdam febrium ſpecies per διαφόρησιν, quasdam per κάθαρσιν &c. facilius & felicius terminari. Quin & *Sydenham obſ. Med. circ. morb. acut ſ. v. c. 1.* teſtatur: viſas ſibi quasdam febrium ſpecies, quas Natura methodo ſibi peculiari, ſine ſenſibili aliqua evacuatione ablegat, reducendo ſc. in maſſam ſanguineam, eique aſſimilando materiam illam morbificam, quæ cum eadem minus quadrabat. Hacq; ratione nixum ſe non ſolum à ſudoriferorum uſu, in continuis etiam, ſæpe abſtinuiſſe, ſed & eadem quandoque noxia deprehendiſſe. Quæ ſane Helmontii effatum ſatis limitare videntur. Neque vero Diaphoretica omnia, ſupra recenſita omnia poſſunt; ſed cum ex dictis conſtet, quædam rarefaciendo & attenuando ſerum liquare ac fluxile reddere, quædam abſorbendo magis, diaphoreſin promovere, patet, diſcrimen illud unicuivis ac ubivis eſſe attendendum, qui feliciter velit in praxi progredi.

XXVIII. Cæterum, uti Remedia hæc à prudenti ac rationali Medico dextre adhibita, Divinum merito præſidium ac Θεῶν χεῖρες audiunt; ita ſiniſtre uſurpata, veluti gladius in manu furioſi ſpectantur. Siniſtre autem uſurpantur, vel quando neglecto morbi tempore ac qualitate, nulla habita item ratione virium, viſcerum conſtitutionis internæ, ſtatus ac conditionis ægri, aut quibus ſerum in vaſis deficit, velut gracilioribus, bilioſis, ſenibus, maniacis, ſqualidis, ad maraſmum ac phthiſin inclinantibus, aut quibus illud extra vaſa abundat, ut hydropicis aſciticis (quanquam & hos quoque ſolis diaphoreticis fuiſſe perſanatos, legimus) Sudorifera fortiora præpr. imperantur: vel quando uno ac ſimultaneo impetu Sudores evocantur, quos præſtaret, repetitis eduxiſſe vicibus: vel denique ubi nimis diu continuatur Sudoriferorum uſus; unde non poſſunt non varia ac quandoq; funeſta excitari ſymptomata. Ita in facie cujuſdam, qui theriacam crebro in uſu habebat, erupiſſe puſtulas hepaticas, ac ſi lue laboraſſet venerea, refert *Beckerus Phyſ. ſubt. l. 1. ſ. v. c. 11.* In intermittentibus præpr. diuturnis, frequentatam ſudationem ſumme noxiam, eaſque ſæpius ita redditas fuiſſe continuas, obſervavit *Dn. Wedelius.* Vidit item, quendam quartanarium

rium reportaſſe hoc modo purpuram incorrigibilem, ſimul ac corpus exponeret aëri, viſendam; in alio inde dolorem capitis perpetuum; in alia puella, leipothymiam frequentem; in alio, leve luis venereæ initium paſſo, dum ab Empirico pluribus hebdomatibus continua ſudatione urgetur, viribus exhauſtis, ſubſecutam mortem. Idem quoque notavit *Galenus in veſt. l. I. Progn.* in adoleſcente quodam Sudore diaphoretico languente, qui dum ab imperito Medico in balneum hypocauſti ablegatur, Sudoris copia large profluente, ac exſultante Medico, ac ſi commodum Sudoris tempus deſignaſſet, ſub eodem Sudore animam quoque exſudavit. Eſt itaque & in ſudando modus, ſunt certi denique fines, quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.

XXIX. Altera generalis Sudorum Claſſis continet Sudorem inutilem, noxium ac præternaturalem, qui a Naturæ vel irritatione vel imbecillitate vel depravatione dependet, quicque vel præſentem ſanitatem deſtruit, vel præſentem morbum nec levat nec tollit. Breviter, qui nec confert, nec facile fertur, ex *aph. 2. ſ. 1.* Sed ex eodem *Hippocr.* *πόνον, καὶ μῆκος νόσου, καὶ ὑποτροπιασμοὺς ſ. 4. aph. 36. καὶ θάνατον aph. 37.* ſignificat. Cæterum ut in Sudoribus ſecundum Naturam ratione bonitatis, ita in his ratione malitiei dantur gradus. Hinc enim leguntur in Medicorum ſcriptis Sudores mali, pejores, peſſimi. Frequenter item occurrunt ſpecialiora horum nomina, Sudoris ſc. ſymptomatici, diaphoretici, ſyncoptici, expreſſorii, oppreſſorii, reſolutivi, colliquativi, detenti &c. De his itaque, qua licet brevitate, nunc acturi, ut ordine procedamus, præcipua, quæ circa Sudores ratione Subſtantiæ, Quantitatis ac Qualitatis, notari poſſunt vitia, exhibebimus.

XXX. Et primum quidem ratione Subſtantiæ peccat Sudor, quando inſueta prorſus ac inſolita Sudoris in modum, per poros Cutis exeunt, unde ipſe Sudor Excrementum toto genere præter naturam audit. Sic obſervati ſunt aliquoties *Calculi* atque *Arenulæ* per Sudores exiiſſe. Ita namque *Bartholinus*, *Cent. anat. I. hiſt 34. Illuſtris quidam vir, Regius in Selandia Præfectus, calculo & arthritide, domeſticis hoſpitibus ſæpe obnoxius, ſubinde in largiſſimum Sudorem ſolvitur, quo non ſerum ex-*

 ſudat,

ſudat, aut ſueti per poros liquores, ſed, quod mireris, manipuli arenularum, quas inducta manu abſtergit. Quotidianum id Nobili viro, & à Medicis ſaluti illius excubantibus perſæpe viſum &c. Simile quid *J.D.Horſtius* in fœmina quadam illuſtri ſcorbutica ſibi viſum refert, cujus ſæpe mammarum ac manuum cutis ita arenulis obducebatur, ut digitorum apprehendentium veſtigia reliquerit. Ac in operario artis vitrariæ Sudorem in induſio copioſe cryſtalliſatum obſervavit *Dn. D. Reiſelius, Ephem. Germ. ann. VI. & VII. obſ. LXVII. in ſchol.* Pluraque exempla congeſſit. *D.D. Schneiderus l. 3. de Catarrh. ſ. I. c. VII.* ubi etiam de *Cl. Sperlingio* narrat, ejus Sudorem conſpectum ſæpius fuiſſe arenoſum. Periit autem is tandem iſchuria pertinaciſſima, quam innumeri in renibus ac ureteribus hærentes calculi induxerant. Sed & *Vermes* ſæpius *Sudoris* in modum per cutim prodiiſſe viſi, unde *Sudores Verminoſi* Auctoribus dicti. Eorum autem hiſtorias exhibuerunt *Conrad. Redeckerus Hiſt. font. Bilſeld.* citante *D. Velſchio. tr. de ven. medin. c. 2. p. m. 55.* ubi refert, quendam tabe confectum ab uſu aquæ noviſſime detectæ, univerſo corporis ambitu innumeros vermes tanquam Sudore protruſiſſe, è poris pennularum anſerinarum craſſitie extrahendos. Item *Henricus ab Heer, qui obſ. 3.* Sudorem cum pediculis ſanguineum ſibi viſum teſtatur. Dedit etiam exemplum Sudoris verminoſi *Dn. C. Fr. Paullini, Academicus Curioſus, Decur. I. Ephem. Acad nat. cur. ann. VI. obſ. 3.* in puero quodam annorum 12. varioliſ correpto, cui poſt propinatam theriacam, præcedente intolerabili pruritu, minutiſſimi vermiculi albi, nigra puncta in capitibus gerentes, Sudoris in modum è poris cutaneis egrediebantur innumeri, ſubſecuta non longe poſt morte. Eandem obſervationem poſtmodum repetiit *Bonnettus in Medicina ſept. coll. l. III. c. 15.* Atque aliis duobus Sudoris verminoſi, in puerulis, variolis laborantibus, obſervati, exemplis illuſtravit ipſe *Paullini* in *Breviario rer. memor. Iſib. ab Ameiuxxen, Ephem. cit. Decurr. II. anno IV. annexo; obſ. IV.* Quibus quidem obſervationibus non leve robur accedere exiſtimat ſententiæ *Langii*, verminoſæ pullaginis in variolis & morbillis præſentiam accuſantis. Quin 3. ipſe *Sanguis* dilectus ille Naturæ filius, in quo retinendo tenaciſſima alias ſolet eſſe Natura,

tura, obſervatus eſt perſæpe, non obſtante integritate Cutis, erupiſſe per ipſa mœnia corporis, Sudoris in modum. Qui cum ſingulares ſubminiſtret obſervationes, operæ pretium erit, illum penitius examinaſſe.

XXXI. Sudor Sanguineus omnis malus eſt, ait *Fienus σημειολ. p. 2. c. 3. θ. 4.* & *Paul. Zacchias quæſt. med. leg. l. III. tit. II. qu. III.* ſcribit: *Sudor Sanguineus accidens eſt maximè conſiderationis, procul dubio ſupponens magnum morbum, terribilibus accidentibus concomitatum, & cum certo periculo terminaturum.* Quæ tamen pronunciata ſuas pati videntur limitationes. Obſervatur enim Sudor Sanguineus eſſe aut productum artis, aut opus Naturæ vincentis, aut laborantis & ſuccumbentis indicium. Artis quandoque eſſe productum, fidem faciunt ea, quæ ad *Nicolaum Monarden Medicum, l. 2. aromat.* miles quidam *Petrus de Oſma* ex Peru perſcripſit: noviſſe ſe ibidem loci Indum quendam, Hiſpanos Indosque quovis morbo laborantes, ſucco herbæ cujusdam incognitæ curantem, quo partium juncturis illinito, coopertisque poſtmodum bene membris, purum exſudare ſanguinem, maximo cum ægrotantium emolumento, qui ſibi videbantur ab hoc medicamento quaſi repubeſcere. Cæterum, an eadem hæc herba ſit cum illa, cujus *Galenus c. 4. de purg. med. fac.* mentionem fecit, (ubi prolixam recenſet hiſtoriam Venefici cujuſdam, qui caſu quodam in herbam inciderat, ſanguinem adeo per inferiora purgantem, ut qui illam aſſumerent, cum ſanguine vitam amitterent: qua obſervatione impulſus Galenus ignota prius in foro Medico purgantia αἱμάγωγα dari ſtatuit) ita, ut intus data, ſanguinem evacuet, foris illinita, cruentum Sudorem moveat, ceu ſuſpicatur *Baricellus, l. II. c. XI.* aut quænam ambæ fuerint, hactenus quidem ignotum manet. In noſtro tamen (quod præterire non libet) Baricello, ex Bibliotheca Celeberrimi quondam Practici, *Dn. D. Bezæ*, nobis communicato, notatum ad marginem vidimus, eſſe herbam illam Verbenam (ſine tamen mentione maris an fœminæ) certo anni tempore collectam. Qua tamen Auctoritate, hactenus reperire non licuit. Naturæ opus eſt, quando eadem gravata vel copia ſanguinis, vel irritata acrimonia ejusdem, accedentibus aliis cauſis, hunc excretionis modum atque vias facilitantibus, partem ſarcinæ cum εὐφορίᾳ per

 poros

poros cutaneos expellit. Sic *Zacutus l. 3. Prax. adm. obſ. 75.* in viro quodam ſucculento, febre ſanguinea detento, Sudorem Criticum ſanguineum, è toto, calidiſſimum, biduo ſenſim & cum ingenti pruritu, per totum corporis ambitum, manantem, conſpexit. Ita menſes ordinariè per Sudorē expulſos in Virgine quadam, vidit *Rhodius*, cui inſtantibus his, maculæ rubicundiſſimæ in toto corpore, præſertim circa mammas oboriebantur, quæ ab aſſumpto ſudorifero penitus evaneſcebant, ſubſecuto Sudore cruento, linteamina valdè tingente. Denique laborantis ac ſuccumbentis Naturæ indicium exiſtit, ubi cum virium proſtratione exit, nec ægrum quicquam juvat.

XXXII. Cæterum quoad cauſas Sanguinei Sudoris ; concurrunt heic plerumque tum nimia pororum cutis laxitas, tum ipſius quoque ſanguinis fluiditas major. Cum enim naturalis hujus craſſities ac ſpiſſitudo obſtet, quo minus per tenuia cutis cribra, transmittendis ſeroſis tantum particulis commenſurata, naturaliter exire poſſit, ubi contingit, hæc quidem ultra conſuetam dimenſionem ampliari, illam verò deſtrui, neceſſum eſt, per has etiam vias ſanguinis excretionem ſubſequi. Pori autē nimis dilatantur tum à cauſis externis: ita à calore ambientis, ſeu æſtu ſolis, & itinere oneroſo, Juvenem quendam ſanguineum Sudorem copioſe profudiſſe teſtatur *Actuarius*. À vehementiore corporis motu in Sphæriſterio ſanguinem per Sudorem induſium penetraſſe vidit *Scharandæus l. 1. de rat. conſ. ſang. c. 9.* & à nimia corporis exagitatione in coitu, Sudorem cruentum notavit *D. Paulini obſ. XLVII. Ephem. Acad. Nat. Cur. Decur. II. ann. VI. annex.* Tum à cauſis internis; ab impetuoſo ſc. ſanguinis & ſpiriritu um ad ambitum corporis motu, velut in vehementioribus animi affectibus, Ira, Indignatione; vel à reſoluto partium cutanearum tono, ut in magnis animi perturbationibus, triſtitia, metu, &c. Exempla notata vid. apud *Caſp. de Rejes. Elyſ. juc. qu. camp. quæſt. LXXXVI.* item apud *Schneiderum l. III. de Catarrh. ſ. I. c. IX.* Sanguis fluidior, & ad effluendum promptior evadere videtur tribus potiſſimum modis. I. Quando ſereſcit, ceu loquitur *Ariſtoteles 3. hiſt. an. c. 19.* Quod non ita accipiendum eſt, quaſi ipſe ſanguis, depoſita purpura, degeneret in ſerum; ut quidem ipſe videtur innuere Ariſtoteles; & rationi conſenta-

ſentaneum putavit *Mercurialis l. 4. V. L. c. 12.* Sed quod vitio præſertim digeſtionis primæ, idque vel ob efficientem, vel ob materiam, ἰχὼρ ille mitis, πεῤῥος, cujus ſupra θ. 5. mentionem fecimus, in maſſa ſanguinea abundet; unde ipſe ſanguis non ſolum fluxui paratiſſimus redditur, ſed ob fibrarum etiam paucitatem, ut explicat *Ariſtoteles*, coire nequit. Ejusmodi Sanguinem ſeroſum è Veteribus quidam appellarunt χολὴν ἐρυθρὰν, *bilem rubram* (ex inepto argumento, quod non concreſcat, æquè ac bilis) ceu notavit *Hofmannus Coll. de Ichor. Galenus Sanguinem crudum* vocavit, & ad diminutam hepatis actionem retulit. Unde affectum hunc priſci vocarunt Hepaticum, & qui ita affecti, Hepaticos. Proditque ſe nonnunquam dejectionibus loturæ carnium recens mactarum ſimilibus, quas in cenſum Dyſenteriarum cruentarum quidam referunt. Aliquando talis ſanguis etiam mingitur, ob renum debilitatem. In fœminis ubi apparet, Profluvium muliebre dicitur. Aliquando etiam Sudores ſanguineos facit, ceu præter *Ariſtotelem* notavit etiam *Cælius Rhodiginus l. 5. antiqu. L. c. 2.* quanquam non Medicus, eruditè tamen approbans ſanguineum Sudorem, cauſamque referens in laxitatem conſtitutionis corporis, & ſanguinem valdè humidum, aquoſumve, ex inſiti caloris imbecillitate. Item *Rondeletius l. de dign. morb. c. 11.* hiſtoriam referens Studioſi, qui ab omnibus corporis partibus ſanguinem ſeroſum reſudabat, ob venarum raritatem & oſculorum laxitatem, ſanguinisque tenuitatem. *Matthæus de Gradi p. I. Pr. c. 35.* mentionem faciens Monialis cujusdam, cui non ex humorum abundantia, nec à cauſa aliqua primitiva, ſed ob ſolam ſanguinis cruditatem, aquoſitatem & laxum corporis habitum, emanabat undique ſanguis, per os, per nares, per pudenda, per habitum corporis, & per omnia ferè emunctoria, tanta in quantitate, ut ad 18. ℔ aſcenderet. *Fernelius l. VI. παθολ. c. IV. Marcellus Donatus l. 1. hiſt. mir. c. 2. Baricellus l. 11. de hydron. nat. c. 11. ac plurimi alij.* II. Quando Sanguis acrimoniam vel ſalſam vel bilioſam contraxit; unde fit, ut magis rareſcat, exſpumeſcat atque exundet. Nam vel culinario exemplo notum eſt, calore majori ollæ milites exſuperare quidem aquam ſimplicem, magis verò ſalitam, ut quando piſces elixantur; maximè omnium pinguia oleoſa ſulphurea, ut in parandis Emplaſtris

plaſtris ac Unguentis, in præparatione Balſami Sulphuris ad ocu lum patet, quatenus viſcedo Sulphuris hoc pacto in infinitas bullulas exſpumeſcit; qua duplici mechanica ebullitionem ſanguinis & efferationem majorem non parum illuſtrat *Dn. Wedelius*. Salſedinis ejusmodi exemplum occurrit præpr. in Scorbuticis, qui uti vomitu ſanguinis aliisque hæmorrhagiis quam maximè ſunt obnoxii, ita & in ſpecie Sudoribus Sanguineis patent; unde & his perquam familiare eſſe, quod, quoties ſudant, levi etiam de cauſa, induſium ſub alis ſanguineo colore tingant, *Bartholinus de Cruc. Chriſti Hyp.* 4. memorat. Villoſæ rarefactionis exempla in febribus viſuntur tum primariis tum comitatis. Frequentiſſimæ certè in febribus fiunt alias hæmorrhagiæ etiam in non plethoricis, quatenus Sanguis & ipſe bilioſus, tum magis exſpumeſcit intenſo illo calore, & ſal volatile peregrinum junctum, rarefactionem maximè præſtans, concurrit. In tali autem ſtatu ad ambitum etiam corporis efferveſcere ſæpius ſanguinem, præter allegatam ex *Zacuto* Critici Sudoris cruenti hiſtoriam, variolæ docent & morbilli, aliaque corporis exanthemata, imò phlegmone, eryſipelas phlegmonodes, aliaque hujus generis, quibus pateret exitus, niſi cuticulæ denſioris remora obſtaret. III. Quando ob malignam aliquam ac venenatam qualitatem, tota maſſa ſanguinea attenuatur, colliquatur ac corrumpitur, ejusque naturalis conſiſtentia atque glutinoſitas penitus deſtruitur, ita quidem, ut extractus coire amplius ac condenſari nequeat, quod quidem peſſimæ corruptionis ac ſummæ putredinis ſignum habetur. Fibroſitatem ſanguinis hoc in caſu deſtrui, ipſasque ejus fibras putreſcere, rectè dixerunt Veteres. Fibras enim ineſſe ſanguini, occaſionem coalitioni præbentes, docuit *Hippocrates l. de Carn. ſ.* περὶ ἀρχῶν *de princ.* item *Ariſtotelees l. 2. part. an. c. 4.* ubi ait: *ſublatis è ſanguine fibris, non ſpiſſatur, ſi non tollantur, ſpiſſatur*; quem *Ariſtotelis* locum repetiit, & prolixius expoſuit *Galenus l. quod anim. mor. ſequ. temp. corp. c. 7.* Quin iſtas adeò neceſſarias eſſe ſanguini, exiſtimavit *Spigelius de Hum. C. F. l. 12.* ut inter partes ſanguinem conſtituentes retulerit, dicens: *Sani hominis ſanguis tribus tantum partibus conſtat, ſero ſc. aqueo, rubro liquore, & fibris ſanguineis.* Et quamvis fibræ hæ non actu

ſed

ſed potentia tantum ſanguini ineſſe multis videantur, quippe aut frigore demum concreſcentes, aut arte parandæ; Iisdem tamen egregie favent ea, quæ de contextura ſanguinis fibroſa, oculatiſſimus *Malpighius tr. de Polyp. cord.* adducit. Hac itaque per morbos venenatos, aut per aliam quandam deleteriam ac ſepticam qualitatem deſtructa, uti alias obſervatum eſt, ſanguinem inde adeò fluxilem redditum, ut ſecta vena, aut ſcarificata cute, nullo amplius artificio, ne cauterio quidem, ſiſti potuerit, quin totus fere elaberetur, ceu viſum ſibi aliquando in peſte refert *Zacutus l. 3. prax. adm. obſ. 42.* & in variolis cum febre petechiali epidemice graſſantibus aliquoties ſe obſervaſſe teſtatur *G. de Reies, Elyſ. juc. qu. camp. qu. LXXXVI.* Ita nec improbabile eſt, huic cauſæ debuiſſe ſuam originem, accedentibus præſertim aliis etiam ὀργασμοῦ incitabulis, tum Sudores illos cruentos in peſte obſervatos & deſcriptos *Georg. Agricolæ l. 2. de Peſte, item Zacuto, l. X. obſ. 40.* tum ſtupendum ac irremediabilem illum Sanguinis Cataclyſmum, quem, reſeratis omnibus ejusdem oſtiis, tam patentioribus ac ordinariis magis, quam ipſis etiam poris cutaneis, inflictum Hæmorrhoi Serpentis morſu vulnus ſubſequi, *Nicander, Dioſcorides, Ulyſſes Aldrovandus, &c.* teſtantur. Quod idem etiam de morſu certæ cujusdam Anguium bicaudatorum ſpeciei, ex Vermibus, in Quitenſi Regione, cœlo ſereno nonnunquam in ipſo aëre excluſis, inque terram lapſis, ortæ, *Athanaſius Kircherus ex Annalibus Americanis Societatis ſuæ, in Scrutin. Peſt. ſ. III. c. III. refert.*

XXXIII. *Ratione Quantitatis* Sudor peccat, quando vel copioſius excernitur, quam facile fertur, unde nimius vocatur; vel ubi parcius fluit, quam confert, unde paucus; vel quando indebite ac præter rationem retinetur. Nimius Sudor, vel copia vel aſſiduitate vel utraque moleſtus, notante *Williſio, Pharm. Rat. ſ. V. c. 3.* in triplici conſtitutus differentia obſervatur: vel enim I. Perſe incipit, & propriis ſuis ex cauſis affligit, absq; alio quodam affectu manifeſto præſente, vel prægreſſo, cujus vel comes vel effectus exiſtat. Ejusmodi Sudoris immodici exemplum in virgine quadam ſeptem amplius annos durantis, poſt convenientiſſima etiam remedia adhibita, refert *Tulpius l. 3. obſ. med. c. XLII.* Similemque de illuſtri quadam fœmina, hiſtoriam recen-

ſet *Dn. Willis, l. c.* adeò ſtupendum & continuum paſsâ Sudorem, ut ſingulis noctibus meri Sudoris plures libras in pelvim, femoribus ſuppoſitam exſtillarit. Vel II. Prægreſſi alicujus morbi effectus & ſoboles exiſtit, uti cum febribus diuturnis ſuccedit: Obſervarunt enim *Willis, Sydenham*, aliique, in illis, quos febres diutius macerarunt, incendia febrilia in Sudores copioſos, noctu potiſſimum & cum virium languore affligentes, ac interdum non minus, quam ipſe eſt morbus, quem ſequuntur, infeſtos, ſæpiſſime terminari; quod exemplo juvenis cujusdam poſt ſolutam quartanam decimeſtrem, copioſos Sudores nocturnos, cum extrema virium imbecillitate & macie perpeſſi, confirmat *Williſius*: Vel III. Morbi alicujus præſentis ſymptoma & comes exiſtit. Viſuntur autem ſæpiſſime copioſi ejusmodi Sudores præpr. 1. in Scorbuticis, Quartanariis, Hypochondriacis ac Lienoſis, qui alias quoque crebris eructationibus, aut exſpuitionibus, aut mictionibus exercentur; Hos autem à copia humoris ſeroſi dudum notavit *Hippocrates*. 2. in Phthiſicis, quibus quidem ſymptoma hoc adeò familiare eſſe ſolet, ut ſæpè ſimul ac oculos claudant, labantur in Sudorem, imò non raro obſervati ſint media etiam hyeme, ſimplici ſtragulo operti, profuſe ſudaſſe, frigente licet triclinio. 3. In Febribus ſudoroſis dictis, quæ cum Sudore incipiunt, & cum Sudore finiuntur. Has Græci appellant *ἱδρώδεις, νοτιώδεις* καὶ *ἑλώδεις* i. e. *Paluſtres*, *ἀπό τοῦ ἕλεος ἢ ἑλώδεος*, *palude*, ob continuum ſc. Sudoris madorem: Quibus quam maxime affines ſunt febres tum *πεμφιγώδεις*, tum *τυφώδεις*, ſeu fumidæ, halituoſæ, ac vaporoſæ dictæ (ubi ſc. calor tam fortiter agit in ſerum, ut non tam ſudent quam fument ægri, defatigatorum inſtar equorum) quamvis de his vocibus multa controvertantur, quæ huc non pertinent. Sunt hæ omnes continuæ, de acutarum ſorte, utpl. ſymptomaticæ, & aliquam viſcerum inflammationem ſequentes. 4. In Febribus *κατ' ἐξοχὴν* Colliquativis dictis, ſeu *πυρετοῖς συντήκουσι*, ſeu illæ ſint hecticæ, ſeu ardentes, ſeu malignæ, quarum perpetuum ſignum quidam, ex *Galeno*, volunt eſſe colliquationem, licet non valde urant. In his autem non amplius ſeroſæ tantum humiditates excrementitiæ per Sudores exeunt; ſed tam in ipſa maſſa ſanguinea, ſuccus nutritivus chyloſus, quam in partibus ſolidis,

roru-

rorulentæ humiditates, ipſarum poris impactæ, ſeu gluten iſtud, quod tertium humorem ſecundarium vocant, quodque tomenti inſtar, illarum ſtaminibus adhæreſcit atque intertexitur, ut & ipſa partium pinguedo diſſolvitur, funditur ac liqueſcit: quodque ſic colliquatum eſt, uti ſæpiſſime per diarrhœas, ac urinæ fluxus colliquativos, nonnunquam etiam per ſalivationem, ita quandoque per Sudores profunditur. Unde Sudores Colliquativi, (qui alias quoque Diaphoretici dicuntur, quamvis nonnulli hos cum Syncopticis minus accuratè confundant) ad craſſos à *Baricello* relati, nonnunquam glutinoſi ac viſcidi, ſæpe pingues ac oleoſi, ſæpius fœtidi, cum facie Hippocratica, extenuatione corporis, & inſigni virium languore apparent.

XXXIV. In cenſu Cauſarum Sudoris nimii occurrit I. Cutis textura rarior, & nimia glandularum pororumque ſeu tubulorum excretoriorum laxitas. Ea autem autem vel congenita eſt, velut in puella illa *Tulpij*, cui, ob Sudores prægnanti matri crebrius motos, à primo ortu pervia ac patula erant cutis ſpiracula & Sudoris cribra: vel acquiſita, partim per conſuetudinem, ſecundum varium rerum non naturalium uſum, poſt diætam Sudorificam diu continuatam; unde pori cutis per longum tempus extenſi & patefacti, diu poſtea dehiſcunt & fere ſemper apertiores manent; partim per ægritudinis p. n. variam alterationem, laxatumque fibroſorum cutis ſtaminum tonum, idque vel vi ac diuturnitate morbi, vel ob ſpirituum animalium in partibus præſertim exterioribus defectum, ut in Leipothymia ac Syncope, vel ob ſubtilem admodum ac raram eorundem texturam, qualis præſertim occurrit in Phthiſicis, hinc cum facile diſſipabiles exiſtant iidem (minimis enim motibus defatigantur tales ægri) & ſub ſomni præſertim quiete, contractiores magis illorum radii, minus extremas animent partes, ſimulac in ſomnum, facile quoque in Sudorem labuntur. II. Excrementorum ſeroſorum in maſſa ſanguinea apparatus. Redundant autem vel 1. ob copiam humiditatis in aſſumptis; inter quæ numeramus tum Aërem, cujus præhumida & auſtrina conſtitutio copioſiori Sudori præbet materiam; docente id ipſum *Hippocrate ſ. 3. aph. 6. cum æſtas ſit ſimilis veri, Sudores in febribus multos expectare oportet:* & repetente *Galeno, Comm. in prog. Hippocratis,* his verbis: *Per*

æſtus ſqualidos & ſiccos, febres fere ſine Sudore eveniunt, per imbres verò longe magis ſudorulentæ fiunt. Ita auſtrinis his flatibus, pluviarum Pincernis, totam illius anni æſtatem, quo Sudoris Anglici contagio Germaniam afflixit, maduiſſe, Auctores teſtantur. Tum copioſiorem victus rationem, de qua olim *Hippocrates: Sudor multus per ſomnum factus, copioſiore victu, corpus onerari, indicat.* Vel 2. ob parciorem Seri profuſionem in reliquis excretis, unde redundans in maſſam ſanguineam, & laxius eidem cohærens, facile in glandulis ſubcutaneis ab eadem ſecedit. Sic à ſuppreſſa derepente urina per calculum Renum *C. Piſo* Sudorem conſpexit uvidum, fœtore intolerabilem, per 10. dies fluentem. *Obſ. 126.* Et *Salmuth*, ob ſimilem ſuppreſſionem, Sudorem urinaceum copioſum, *C. 2. obſ. 82.* Imò, quod rarius, loco ordinarii fluxus menſtrui, Sudorē menſtruū periodicum, ſine febre, 3. aut 4. dies durantem, *Bened. Sylvaticus C. II. obſ. 95.* & ex eo *Rhodius C. III. obſ. 74.* Vel 3. ob peculiarem maſſæ ſanguineæ dyſcraſiam, quæ conſiſtit vel in cruditate aquoſa, ob defectum ſulphuris ac caloris ſufficientis; qualis accuſanda videtur in iis, qui febres diuturnas perpeſſi, aut diæta mali ſucci uſi; hi enim levi de cauſa in Sudores aguntur, non ſecus ac jumenta, gramine aut fœno recenti veſcentia, à labore quovis plurimum ſudant, & cito oblangueſcunt: Vel in cruditate acida aut ſalſuginea, quales præcipuè occurrunt tum in Phtiſicis, tum in Scorbuticis; ob has enim ſanguis, non ſecus ac lac dum aceſcit, continuo funditur, inque ſeroſitates præcipitatur; aut ſuccus nutritius chyloſus, recens in maſſam ſanguineam illatus, propter hujus dyſcraſiam & illius impuritates, eidem non rite aſſimilatur, unde à ſanguine rejectus, ſicubi inveniat poros patentes, per has potius quam per alias excretionum vias foras amandatur. III. Cauſarum moventium impetus; earumque tam externarum, quorſum pertinent continuati motus, diuturnior mora in calido ambiente, nimius medicamentorum Sudoriferorum uſus: quam internarum; ubi occurrunt tum Calor vehemens, urens, πῦρ Hippocrati dictus, ab inſigni humorum putredine ſ. fermentatione oriundus; tum ipſius quoque Sanguinis acrioris, ferocius partes alluentis, impetus. Illius ignea vi, humidum & excrementitium & alimentarium, pinguedo item corporis ſolvitur & liqua-

liquatur; hujus vero continuo rapidiſſimoque per circulationem motu, partes balſamicæ roridæ, glutinoſæ, ſolidarum poris impactæ, abraduntur ac divelluntur, redeuntique ad Cor ſanguini partim per venas, partim per lymphatica vaſa commixtæ, cumque eodem rurſus per arterias ad glandulas ambitus delatæ, una cum ſeroſo excremento per Sudores ejiciuntur. Tanto autem validius vires ſuas exſerit uterque, quanto ipſe ſuccus nutritius texturæ rarioris & ſubtilioris, hinc facilius reſolubilis & attenuabilis exiſtit. Exemplum ſi expetas, dabit illud caro aprugna, cui quod inter aſſandum decedit, parum omnino aut nihil eſt, plurimum vero Suis domeſticæ carni, eoque magis, quo plus adipe & carne abundat, ut loquitur *Gorræus in defin. Med. p. 319.* In morbis vero malignis & peſtilentialibus, ubi calor & motus ſanguinis non ſemper adeo vehemens eſt, in ſcenam vocanda videtur peculiaris quædam acrimonia ſeptica & quaſi cauſtica fermenti maligni penetrans, diſſolvens & colliquans humores: Qualis reſolutio ac putredo maſſæ ſanguineæ, ab aura quadam maligna ac venenoſa infectæ, præprimis evidens fuit in dira illa ac peſtifera lue, cui à loco natali & præcipuo ſuo ſymptomate, *Sudoris Anglici* nomen hæſit, alias etiam ἱδροπύρετος, *febris ſudatoria*, ἱδρουσῶος, *morbus ſudaticus*, nominata. Quaque facultate reſolvendi, fundendi, inque Sudores ciendi Maſſam ſanguineam, inſtructum quoque eſſe Hydrum, quem & Chelydrum vocant, certum ſerpentis genus, *Plinius* atque *Aldrovandus*, referente *Athanaſio Kirchero Scrutin. peſt. ſ. 3. c. 3.* teſtantur.

XXXV. Per *Paucum Sudorem* heic intelligimus illum quem *Hippocrates* in ſuis monumentis paſſim, ἐφίδρωσιν; i. e. ut vertunt Interpretes, *Conſudationem, Deſudatiunculam, ſ. madorem* appellat; ſeu is ex univerſo corpore exeat, ſeu in quibusdam tantum corporis partibus, præſertim in capite, circa frontem, jugulum, claviculas ac thoracem, nullo etiam in his partibus exiſtente affectu, nunc calidus, nunc frigidus, ſpectetur. Utroque enim hoc modo ac promiſcue vocabulo ἐφιδρώσεως uſum eſſe *Hippocratem*, ex *Galeno* prolixe oſtendit *Foëſius in Oecon. Hippocr.* Obſervantur autem ejusmodi ἐφιδρώσεις variis in affectibus, tam mitioribus, quam vehementioribus. Ubicunque tamen acciderint, ſuſpectas pronuntiat *Hollerius*; quanquam

quam ex morbi idea ac natura nunc pejores nunc minus æſtimentur. Aut enim in morbis mitioribus, & qui acuti non ſunt, copiam humorum craſſorum & crudorum, vel in toto vel in partibus, obſtructosque meatus indicant, ac propterea morbi longitudinem præſagiunt. Aut in morbis præpr. acutis, oppreſſam & ſuccumbentem materiæ morbificæ Naturam denotant, quæ nititur quidem onus ſibi moleſtum excutere, conatu tamen impari; quæ movet, ſed non promovere potis eſt. Aut denique ſummi virium languoris ac reſoluti partium toni præbent indicium, qua in cauſa plerumque frigidi apparent, ac ſpecialiori nomine *ſyncopales, ſyncoptici, ac morticini* nominantur; viſunturque in ſyncopizantibus pariter ac morti vicinis, in ingentibus item cruciatibus doloribus ac inflammationibus internis, in magnis evacuationibus tum ſanguinis tum aliorum humorum, ut in dyſenteriis, diarrhæis, lienteriis, nimiis aquarum in hydropicis, puris in Empyicis fluxibus, in ictibus ac morſibus venenoſorum animalium &c. Ejuſmodi autem Sudores *Helmontius tr. de lat. hum. neg.* non tam laticem ſ. ſerum, in ſui natura, quam rorem alimentarium reſolutum vult eſſe, cui mors imperat; argumento, quod habitus corporis ſtatim ſubſidat. Vero tamen ſimilius videtur, ſubitaneam iſtam habitus externi ſubſidentiam non tam à ſenſibili hac evacuatione, quippe pauca, quam à deficiente ſpirituum influorum vi elaſtica, fibras & ſtamina partium in debito tono detinente, non ſecus atque ipſos illos Sudores, oriri. Hac enim quacunque de cauſa ceſſante, neceſſum eſt, non tantum partes molles, præſertim faciei, collabi, naſum acuminari, tempora excavari, oculorum orbitas profundiores apparere; ſed ipſum quoque partium tonum plurimum laxari, poroſque omnes apertiores fieri; unde ſerum & ipſum à reliquo ſanguine tunc magis laxatum, debiliusque per arterias impulſum, quam ut pars ejus circulationis altera per venas retrograda, competenter continuari queat, facile per patulos glandularum ac cutis poros elabitur. Sub ſpecie autem madoris frigidi exit, tum quod calor nec per fermentationem debiliorem ſufficienter eliciatur, nec per motum progreſſivum languidiorem ſufficienter ad cutim propellatur. Imo non improbabile multis videtur, in tali caſu & ſub extremo mortis articulo, fatiſcentibus viribus & elatere vitali, ſubſidente ſanguinis mole & collabaſcentibus partibus omnibus,

Sudo-

Sudorem non per habitum corporis tantum, ſed per viſcerum quoque interiorum vaſa ac tunicas elabi; cujus rei documentum forte præbere poſſet aqua in pericardio collecta, quippe quæ ſuam ſcaturiginem violentæ ejuſmodi tranſudationi aut congeſtioni ſeri ſub morbo aut morte, debere videtur.

XXXVI. *Sudor Retentus* dicitur duobus modis. I. quando ubi cum εὐφορία fluit aut fluxurus eſt, à cauſis externis tum meatus conſtringentibus, tum humores condenſantibus, conſilio vel caſu, cum noxa ſupprimitur. Id quod fit vel in vacuationibus per Sudores Criticis, in morbis tam benignis, quam malignis; vel in iis, quibus alias in latitudine ſanitatis conſtitutis, magno cum commodo ac levamine excerni ſolebat. Ita nonnullis familiares eſſe ſolent Sudores poſt peractam coctionem matutini ſuaviſſimi, ab innumeris malis caput vindicantes. In nonnullis Natura, ſtato tempore, excretiones per Sudores molitur; cujuſmodi Sudorum Periodicorum exempla leguntur apud *Zacutum l. III. πραξ. adm. obſ. LXXIII.* Ubi mentio fit Juvenis cujusdam, qui per multos annos verno tempore, patentibus poris, toto die, vel etiam ſine exercitio & motu, Sudorem ferventiſſimum excernebat, qua evacatione ſanus & alacris per reliquum annum pancratice valebat. Item apud *Bartholinum Act. Hafn. T. I. h. XLIV.* qui duarum fœminarum ſpleneticarum meminit, quibus Sudores copioſi prodibant, quoties menſium fluxus vel aderat vel inſtabat. Quod quidem tanto rarius eſt, quanto frequentius alias in ore Medicorum, ac quaſi Regula communis: Menſes vel impediri vel ſupprimi oborto Sudore; vehiculo quippe per Sudorem ſublato, ſanguinis fluxum ſiſti. Adeo nihil eſt in Medicina tam perpetuum, quin pro perſonarum temperamentorumque diverſitate variet. Hi itaque Sudores præter rationem ſuppreſſi, varios affectus ac lernam malorum excitare ſolent. In ambitu enim corporis ſubſiſtentes, variæ Cutis vitia, pruritum, ſcabiem, ἵδρωα, varos, lenticulas; horrores item ac anaſarcam efficiunt; vel in maſſam ſanguineam repulſi, cephalalgiam, apoplexiam, paralyſin, lethargum, comam, catarrhos, tuſſim, aſthma, palpitationem cordis, nauſeam (de qua in ſpecie *Fr. Bayle probl. med. phyſ. LXXIX.*) colicam, hydropem, arthritidem, ſcirrhos & plurimos alios af-

fectus inducunt, quos *Car. Piſo de morb. ſeros.* paſſim recenſet. Exemplo poterit eſſe juvenis ille *Zacuti*, de quo modo, qui tandem Sudoris hujus pertæſus, dum adventantis impetum Sudoris, frigidiſſimo balneo, reprimere conatur, veluti gelatus, repente obriguit, noctuque ſuborta anguſtia, palpitatione cordis correptus, intra paucas horas deceſſit. *Conf. Ephem. Acad. Nat. Cur. Decur. II. ann. II. obſ. LXXVI.*

XXXVII. II. Quando in ſtatu morboſo, ubi excretus prodeſſe poſſet, nullus, ne per medicamenta quidem, compoſito etiam ad ſudandum ægro, Sudor obſervatur. Arguit autem hic defectus Sudorum vel Defectum Seri in maſſa ſanguinea; quod deficit, vel ob defectum humiditatis in aſſumptis, vel ob nimiam profuſionem in excretis, vel ob congeſtionem & accumulationem ejusdem extra maſſam ſanguineam, alienis in locis. II. Nimiam craſſitiem, lentorem, & viſciditatem ſeri; ratione cujus per tenues cutis poros evacuari nequit, ſed organum Sudoris tum ſecretorium tum excretorium inviſcat & obſtruit. Provenit utpl. à calore & ſiccitate, aliquando à ſolo defectu ſeri, vel III. Arctiorem cum ſanguine connexionem aut cohæſionem ſeri, quam ut à Natura, vel ſibi relicta, vel diaphoreticis ſtimulata, ab eodem ſeparari poſſit. Hanc à certo quodam contexente fermento febrili acido probabiliter deducunt Recentiores. Acidum certe in ejusmodi morbis præcipue peccare, præter alios, multis rationibus ac phænomenis probare ſatagit *D. Ettmüllerus* paſſim. Acido autem hanc cohæſionem deberi, experimentum illuſtrat illud, quo oleoſa per ſpiritum nitri acidum in pinguedinis conſiſtentiam coagulari videmus, dum alcalia econtra & ſaccharum, butyri debitam coactionem penitus imminuunt. Occurrit ejusmodi maſſæ ſanguineæ conſtitutio præpr. in febribus continuis ardentibus & malignis, in quibus ſæpiſſime obſervant Medici, æſtuante maxime corpore, ægro ipſo copioſius bibente, ſtragulis etiam cooperto, nullum Sudorem ne per Sudorifera quidem, elici poſſe, cute ſemper arida & ſqualida exiſtente, ægroque ipſo alias in ſtatu naturali facillime ſudante: unde in his caſibus terminatio etiam citius per mortem, quam judicatio ac ſolutio morbi per Sudorem contingit; ceu jam olim id docuit & exemplis etiamprobatū dedit *Hippocrates tum in coac. prænot.* tum

obſerv

Epidem. l. 3. ſ. 1. ægr. 2. & paſſim. Vel IV. Malam viſcerum conſtitutionem, quam inprimis expoſuit *Fernelius l. IV. de febr. c. X.* ubi ait: *Illud præterea obſervari velim, eum, cui jecur aut lien ætate morbove inaruit, vel magna obſtructione, vel ſcirrho obduruit, ut in hydrope, in ictero, aut in cachexia, nulla vi eum poſſe, ne per febres quidem, in Sudores induci: eum vero, cui jecur atque lien calore humoreque naturali abundent, quavis ex cauſa Sudore diffluere.* Idem teſtatur *Celeberr. Dn. Wepferus in epiſt. quadam ad D. Henr. Paulli*, hujus Anatomes anatom. Bilſianæ annexa, *p. m.* 98. Nimirum aut impedita eſt Lymphæ in glanduloſis his viſceribus, ac præſertim hepate, ſecretio, aut vaſorum lymphaticorum adeſt obſtructio, quæ dum impedit conſuetum humoris hujus commeatum, in culpa eſt, ut ad glandulas vel ad alias corporis partes, unde proceſſit, retrocedere coactus, eas multis modis, ac potiſſimum tumore ac induratione infeſtet: denegato autem ita liberiori lymphæ in maſſam ſanguineam itu ac reditu, ipſam quoque inhiberi neceſſe eſt, aut ſaltem difficiliorem reddi Sudoris excretionem. Vel denique V. Aridiorem ac denſiorem cutim, arctioremque juſto glandularum ac pororum cutanearum ſtricturam; quæ itidem vel congenita eſt, vel acquiſita, idque vel ex vario rerum non naturalium uſu, vel per morboſam conſtitutionem internam. Ejusmodi pororum conſtrictio præpr. occurrit in febribus modo memoratis acutis ac malignis, Sudoris eruptionem, non minus, quam peculiaris illa ſanguinis diſpoſitio, cujus mentionem fecimus, impediens, Urgentibus enim tum ſymptomatibus quibusvis, non poteſt non per conſenſu affecta ac corrugata cutis claudere poros, & obturare Sudoris fontes. Inter urgentia autem illa ſymptomata, quorum occaſione Sudoris occluduntur portæ, D. *Ettmüllerus* ea præcipue attendere jubet, quæ Præcordia occupant, h. e. illam abdominis partem, quæ extrinſecus quidem regione epigaſtrica, circumſcribitur, intrinſecus vero ſtomachum imprimis complectitur, prout ex *Celſi mente l. 2. c. 3.* hæc vox hodie fere accipi ſolet: quamvis *Fernelius l. c.* præcordiorum nomine, ventriculum, diaphragma, jecoris cava, lienem, pancreas, meſenterium & omentum ſimul complectatur. His enim in morbis iſtis fermento febrili maligno obſeſſis, uti

F anxie-

anxietates ægris ipſis non explicabiles, inquietudines, agrypniæ excitantur, aut ipſa diverſimode afficiuntur præcordia, ita habitus quoque corporis cutaneus per conſenſum arctius contrahitur, & ad Sudoris transmiſſionem minus idoneus redditur. Arctiſſimum autem hunc Præcordiorum cum habitu cutaneo conſenſum, *Fernelius l.c.* elegantiſſime expoſuit,

XXXVIII. Superſunt vitia Sudorum, in ſenſilibus eorundem qualitatibus, *colore*, *odore* ac *ſapore*, mutatis, paucis percurrenda. *Colores* in Sudoribus alieni vel oriuntur ab aſſumptis, de quibus §. 7. & 8. actum, vel à variis humoribus & vitioſis ſuccis in corpore ac maſſa ſanguinea ſtabulantibus; ad quorum tincturas recipiendas ſerum, ex ſe pene coloris expers, aptiſſimum exiſtit. In ſpecie redundantis in maſſam ſanguineam, degenerisque bilis permixtæ indicium præbent *Sudor Luteus*, Regio morbo laborantibus familiaris; *Croceus* aliquando in viro robuſto, febre ardente laborante viſus *Hildano Cent. VI. obſ. LXXVII. Cæruleus*, qualem in Epileptico quodam, quoties Paroxyſmus aderat, è dextro hypochondrio erumpentem obſervavit *D. Dolæus*, *Ephem. Germ. ann. VI. & VII. obſ. LXVI. Viridis*, notatus *Borello C. 2. obſ. 56:* alias etiam veneni aſſumpti ſuſpicionem movens. *Ruber* ab admiſto ſanguine talis. *Atrum* cum *Marcellus Donatus l. 1. hiſt. mir. 2.* nec à ſe, nec ab aliis obſervatum meminiſſet, experientiæ defectum ratione oſtenſurus, notat, nigrum & craſſum ſ. melancholicum iſtum ſuccum, uſque adeo extenuari non poſſe, ut per tenuia iſta ſeri cribella excernatur. Refragatur tamen huic ſententiæ *Baricellus l. 2. c. 2. de hydron nat.* poſſibilemque ea ratione ſtatuit, ſi craſſus iſte ſuccus ab alio ſeroſo fluido diluatur. Atque hunc experientia firmat. Sudorem enim atramenti inſtar nigerrimum, copioſiſſimum, ſalutarem tamen, in viro quodem melancholico vidit *Zacutus Prax. adm. C. III. obſ. 76.* Talem etiam atri coloris in *relatione hiſtor. de peſt. Londin* anno 1671 graſſante ſibi obſervatum aſſerit *Hodgeſius.* Sed et *Borrichius in act. Hafn. T. 1. obſ. 70.* In Phthiſica quadam jam prognoſticis relicta, notavit Sudores nigerrimos, copioſos, matutinos, criticos. Cauſam addit pro more elegantiſſimam: Dilutiorem ſanguinis partem à nimio acido (quod in corpore tabido deeſſe non potuit) in nigrorem verſam inter ſudandum evapo-

evaporaſſe. Confirmat hæc egregie *obſ. D. Langelotti Ephem. Acad. Nat. Cur. ann. VI. & VII. obſ. 10.* de viro quodam illuſtri, paralyſi ſcorbutica laborante, qui ab aſſumpto ☉ diaph. ℈j in Laconico, Sudorem exſudavit copioſiſſimum, adeo nigrum, ut atramentum referret ſcriptorium, & omnino acidam quandam auram ſpirantem. Unde liquet, atrum iſtum colorem non ſemper ab amurca lienis, aut bile aduſta, aut ſanguine retorrido & in nigrorem excocto, eſſe deducendum. Acido autem hoc commode tribui poſſe, tum atramenti confectura, tum ipſa bilis cum ſpiritu vitrioli digeſtio, tum etiam ab aceto, ſanguini animalis calenti infuſo, mixtura exſurgens atrata, perſuadere videntur.

XXXIX. Quoad *odores peregrinos*; *Sudores fœtidi atque olidi*, vel aſſumptorum graveolentiam ſpirant; velut in Athleta illo Thebano, qui caprina carne delectatus, tam graveolentem corpore ſuo emittebat Sudorem, ut Caper appellaretur. Ita inſignes vini Potores acidum ingrati odoris & plerumque fœdidum olent; quemadmodum & homines, qui cœpis diu & abunde nutriuntur, vapores, qui referunt cœpas, non modo ex ore, ſed etiam ex univerſo habitu emittunt. Aut ordinarie & in latitudine ſanitatis, locis magis concluſis, minus patulis, minusve perſpirabilibus, in pedibus, ac præpr. ſub alis, notantur, hircinum fœtorem, in adultis ac pubertatis annos egreſſis, referentes. Copioſiſſimæ enim ibidem ſunt glandulæ, continuam ſuppeditantes materiam, quæ cum ob loci conditionem, pilorumque proventum libere exhalare nequeat, collecta ac putrefacta fœtorem iſtum exhalat. Non deſunt tamen, qui hircoſi hujus fœtoris præſentiam tam in maribus quam in fœminis, pro præcipuo proſtratæ pudicitiæ ac amiſſæ virginitatis ſigno venditant, (quos inter eſt *Hieron. Montuus p. 2. med. c. de cauſ. fœt.* ubi quærit, *cur pueri & puellæ virgines non fœteant ante coitum, ſed ſtatim cum coierint, fœtere incipiant?* itemque *Caſp. à Reies Elyſ. juc. qu. camp. qu. 38.*) illumque à ſeminis commotione ac exhalatione deducunt: quod cum antea in ſuis vaſis quietum maneret, venere agitatum, vapores ſuos, per omnes corporis vias ac meatus diffundat, qui per poros una cum reliquis excrementis tranſpirantes, iisdem ex propria ſui natura, hircoſum illum o-

F 2 dorem

dorem affricent. Quorum tamen opinio nullo prorſus fundamento nititur. Aut denique extraordinariè & in ſtatu p. n. ex toto corpore emittuntur, & vel à ſuppreſſis per alias vias (v.g. urinarias *vid. ſupr. §.34.*) excernendis, perque has excretis oriuntur, vel cacochymiæ, aut putredinis, aut colliquationis internæ indicia præbent. *Suaveolentem* quod attinet *Sudorem* (ut hoc obiter addamus) inſignis eſt controverſia, an ſemper ſit extraneus, an verò ex propria interdum ſubjecti natura, & perfectiſſima corporis diſpoſitione poſſit oriri? Hoc poſterius quamvis nonnulli defendant, in exemplum adducentes Sudorem Alexandri M. odoriferum ac redolentem, de quo *Plutarchus*: atque id etiam probandum ſuſceperit *Fortunius Licetus*, *de his qui diu ſine alimento vivunt*, *l. 4. c. 8.* Exiſtimaverim tamen in corpore humano quantumcunque perfectiſſima ſanitate ac εὐκρασίᾳ fruatur, Sudorem ſuaveolentem, niſi ab aſſumptis fragrantibus, non dari, quod *Ariſtoteles* etiam ſenſiſſe videtur *13. Probl. 4.* dicens: *Nullum animal jucundum de ſe mittere odorem, excepta Panthera.* Sed hæc omnia forte intelligenda eſſe, de odore quodam corpori humano conveniente; qui tamen ſimpliciter ſuavis odor dici nequeat. Unde quod de Alexandri M. Sudore referunt, aut ab aſſumptis talibus, aut ab adulatoribus ejusdem profectum videtur.

XL. Nec minus *Sapores* in Sudoribus à naturali, qui modice ſalſus eſſe debet, varie deflectunt. Sic ſæpius obſervati ſunt in Scorbuto ac arthritide vaga ſcorbutica *Sudores ſalſiſſimi*, copioſe erumpentes, dolorem non minimum inſignemque pruritum excitaſſe. *Sudorem acerrimum* in Epileptico quodam vidit *Williſius*, cui tanta vis inerat corroſiva, ut inſtar aqua fortis, linteamina, ni ſtatim abluerentur, citò corroderet. *Acidi Sudores* ex cruditate elevati acida, in ſenibus, & hypochondriacis ſpleneticis, Phthiſicis item, frequentiſſimi. *Amari*, bilioſorum humorum in maſſa ſanguinea ſtabulantium indicia præbent. *Dulces* denique *Sudores* in febribus ardentibus quandoque excerni, uti non videtur ἀδύνατον, (nam & urinarum in diabeticis quibusdam dulciſſimarum ac mellitarum meminit *Williſius. Pharm. Rat. ſ. V. c. III.*) ita non poſſumus acquieſcere in cauſa dulcedinis hujus, quam dedit doctiſſimus *Mercurialis Piſan. præl. in Progn. Hipp. p. m. 629.* ſc. quod in febre acuta humor ſalſus excoqua-

coqua-

coquatur nimis, atque ita dulceſcat, perinde ac aquam marinam excoctam ad tertias dulcem fieri voluit *Caſſius probl. 34.* Quod idem videtur aſſerere *Galenus, 4. de ſimpl. med. fac.* ubi ait: materiam dulcem, ſi multum excoquatur, dulcem fieri, & contra ſalſam, ſi mediocriter coquatur, dulcem: Experientiæ enim hæc non reſpondent. Quin potius veroſimile videtur, Saporem iſtum dulcem non aliunde oriri, quam quod ſpiculis ſalinis in ſero diſſolutis, particulæ ſulphureæ, oleoſæ, balſamicæ, guſtus organum blande demulcentes, ex colliquatione partium ſolidarum delibatæ, accreſcant. Ab harum enim combinatione dulcedinem oriri, vel ſolum ſaccharum, concretum ſulphureo ſalinum, abundè teſtatur.

XLI. Lubet tandem huic *Sudorum p. n.* Claſſi paucis annectere *Mortuorum ſudantium tam ſerum quàm ſanguinem* hiſtorias, quanquam pauca admodum exempla occurrant. Inpr. autem hiſtoriam memorabilem retulit *D. Ledelius Ephem. Acad. Nat. Cur. ann. III. obſ. LXXXII.* de Paſtore quodam, à prima juventa melancholia hypochondriaca infeſtato, qui cum aliquando ardente Syrio, Paroxyſmo melancholico vehementiſſime correptus, cum vigiliis & Sudore continuo copioſiſſimo, viq; mali tandem mortuus eſſet, obſervatus fuit Sudor poſt mortem etiam ex ejus cadavere copioſiſſime erumpens, & ad quartum usque diem ſine intermiſſione è toto corpore fluens, usque dum clauderetur urna. Aliud exemplum *Sudoris* poſt mortem retulit *D. Frommannus Ephem. cit. ann. VI. & VII. obſ. CLXXXV.* viſi in puerulo quodam ſtatim ab ipſa morte toto rigido, cujus facies tertio poſt mortem die, cum ad Cæmiterium deferretur cadaver, terræ mandandum, creberrimis Sudoris guttulis referta viſa fuit. Et allegatus ſupra *D. Paullini Ephem. Germ. Decur. II. ann. VI obſ.* mentionem facit Ruſtici cujusdam malæ vitæ; qui cum diu lecto affixus, ac tandem miſerrimè mortuus eſſet, erupiſſe ſubito fœtidum è Cadavere Sudorem in quo quam plurimos pediculos albicantes notarint Domeſtici. Quoad *Cruoris exſudati* exempla; Refert idem *Paullini, l. c.* alium quendam Ruſticum, dum viveret, ſummè cachecticum, cumque ὀρθοστάδιος adhuc eſſet, ad leviorem etiam corporis commotionem, Sudorem rubro colore tinctum exantlantem, mortuumque

que tandem inter Sudores quos medicamento fortiore provocarat, ad nonam poſt mortem horam, cruorem ſudaſſe. Ita *Horſtius ex Libavio*, in ſuſpenſo quodam ἐυσάρκῳ & pletorico ſanguinem per crura & brachia emanaſſe ſcribit. Et *Kornmannus de mirac. mort p. 5. c. 8. G. 9.* memoriæ prodidit: Cadaver cujusdam ſuſpenſi plurimum Sudoris cruenti effudiſſe, per quatuordecim continuos dies: & alium item ſuſpenſum poſt nonnullos annos ad acceſſum matris ſanguinem poſt longum tempus ſtillaſſe. De quibus tamen hiſtoricis priorem habere admirationis aliquid, poſteriorem fabulæ proximam eſſe, judicat *Zachias Quæſt. med legal l. IV. t. 1. qu. X.*

XLII. Sed ſatis eſt exemplorum. Ad Cauſarum porro inveſtigationem properantes, notamus: Sudoris in defunctis eruptionem aliquando caloris vitalis poſſe eſſe ſobolem; idque tum præcipue, ubi abſque corporis putredine, aut manifeſta humorum fermentatione, Sudores in Cadaveribus ſtatim à morte erumpunt. Neque enim poſt mortem ſemper omnis ilico calor vitalis membra deſtituit; ſed idem interdum, ceſſante etiam Cordis motu, aliquandin permanens, continuare quadantenus atq; ad tempus poteſt inferiores vitæ functiones. Idq; eo magis, quoniam nec localis ſemper ac progreſſivus humorum in orbem motus ilico à morte ceſſat; cum quieſcente etiam corde, nihilominus ſanguinis ex arteriis in venas verſus cor continuetur tranſitus: unde in plurimis cadaveribus tota pene maſſa ſanguinea in venis majoribus collecta reperitur, arteriis maximam partem ſanguine vacuis. In primis autem ſerum ſeu lympha diutiſſime motum ſuum ſervat in corpore. Id enim vaſorum lymphaticorum repletio ſ. intumeſcentia, à ligatura ſatis longe etiam poſt mortem intervallo facta, abunde probat. Unde quamdiu calor vitalis, puſillus etiam, in glandulis adhuc reliquus, continuari poteſt ſequeſtratio ſeri, illudque in ſpecie per diſpoſitam cutim, Sudoris in modum effluere. Præprimis tamen Sudoris in Cadaveribus eruptio ab inordinata, impetuoſaque ac Naturæ legibus ſoluta humorum fermentatione, ad putredinem ac totalem mixti diſſolutionem tendente dependet. Incipiente enim humorum putredine, ſpiritus ſal & ſulphur a motu ſuo regulari ceſſare & in confuſionem agi, deinde in

cavi-

cavitatibus concluſa, inordinate fermenteſcere, ac corporis totius viſcerumque intumeſcentias facere ſolent. Quod dum fit, hærens in rara corporis ſuperficie materia vaporoſa ſub Sudoris ſpecie per illam ebullitionem extruditur; aut ipſe interdum ſanguis, præſertim, ubi vel ſeroſior, vel ichoroſior, vel alias in corpore abundarit, dilatatis vaſorum oſculis, Sudoris in modum egreditur. Neq; hæc adeo mira videbuntur illi, cui alias vel ex Medicorum ſcriptis, vel ex autopſia, non ignotum eſt, obſervatos frequentius humores quosvis poſt mortem per apertiores magis vias, è vulneribus, ulceribus, naribus, auribus, ore, pudendis, per aliquot etiam dies, ſummo cum impetu, exiiſſe è corpore, repullulaſſe tumores, maculas quæ antea non aparuerant, obortas, flaveſcentem in cadaveribus, quæ Anatomiæ cauſa per plures ſervantur dies, colorem, exactis aliquot diebus, in genis & aliis locis carnoſioribus in ruborem verſum, calidiora poſt mortem reddita corpora, quam fuerint in vita, ac plurima alia ex hoc cauſarum fonte deducenda phænomena. Inter omnia autem hæc mortuorum miracula, rariſſimus obſervatus fuit Sudoris proventus. Rara enim eſt in cadaveribus illa ad Sudorem diſpoſitio, cum calore vitali deſtituta exteriore corporis compage, arctius ſtringantur ſpiracula, quam ut ab exhalationibus intus concluſis reſerari queant. In cadaveribus autem eorum, quos hydrops peremit abdominis, licet multo humore turgere ſuperficiem ſæpius conſpexerimus, ſimilem tamen guttarum apparatum expreſſum nunquam obſervavimus, tum quia in nimia abdominis extenſione, pororum ad extima tendentium ductus à ſubjacentibus partibus carnoſis obliteratur & detorquetur, tum quia aqua fluctuans extra ordinariam ad poros viam degit, & ob craſſitiem, ſubtiles meatus, deinceps poſt mortem, ob vitalis caloris ablationem magis conſtrictos, decurrere nequit. Haud tamen ægrè crediderim, ſæpius & hoc quoque in cadaveribus accidere ac notari poſſe ſymptoma, ſi & cadaverum ſuppeteret copia, nec qui ſtudioſius iſta obſervarent, deeſſent.

XLIII. Sed miſſis his, ad Uſus Sudorum nos tandem convertimus; hos enim ut expendamus, reſtat. Et primo quidem, uſum, quem corpori præſtat Sudor, quod attinet, is nullus alius eſt quam evacuatorius. Scilicet (ut *D. Bohn. progymn.*

XIX.

XIX. Circuli phyſ. verbis utar) eum in finem Natura has excretiones movet, ut maſſa ſanguineâ à particulis effœtis liberetur, ſimul tamen ex habitu corporis ſolidiore quoque abſtergantur ramenta incongrua, præpr. ſalina, aut quicquid à laudabilis nutrimenti natura degenerat, atque hinc moleſtum evadit. Voluit tamen Sagaciſſimus *Malpighius tract. de extern. tact. org.* tum perſpirationis tum Sudoris aliam adhuc eſſe efficaciam, & utramque excretionem ſingulare tactus eſſe adminiculum: quatenus hujus organum, ſeu papillæ nerveæ ab illarum rorulentia aliquid humectationis petant, ne nimium areſcant, & ex aſſiduo uſu calloſæ reddantur. Et certè omnino neceſſarium videtur, ut cutis & cuticulæ textura à quodam humido emolliatur, ne ipſarum ſiccitas & naturalis rigor ſubjectarum partium uſum, ſive ſenſum ſive motum impediat. Notiſſimum enim eſt, duriores paſſim corporis habitus ad tactum minus bene eſſe compoſitos, perinde ac illos, qui nimio diffluunt humore. Siccitate verò nimia papillas nerveas validius conſtringi, & ſi quis eſt in ſpiritibus ſeſe expandendi conatus, ſoliditate texturæ contractioris retineri, prorſus eſt probabile. Neq; tamen diſſimulandum heicduco, ſiccitati huic vel arcendæ vel emendandæ, aquea ut & rigida ſalis corpuſcula, per tubulos ſudatorios decidua, minus videri idonea: præſertim cum tubuli hi cutanei cuticulam etiam perforent, adeoque omnem ſuam humiditatem in ſuperficiem ſuam extimam effundant: Neceſſum autem videtur, ut ſuccus iſte non tam in ſuperficiem erepat, quam ipſius cuticulæ & cutis texturam intimiorem penetret & emolliat. Probabilius autem longe eſt, hoc muneris deberi unguinoſo potius ac oleoſo cuidam ſucco; ſc. qualem ex alia, quam Sudor, pororum textura, inſenſibiliter exſudare, perque interiorem cutis ac cuticulæ texturam lente diffundi, & cujus præſentia tum mollitiem illam, tum ſplendorem in corporibus obſervabilem, ac per vultus præprimis lineamenta undulantem, vigoremque ac deliquia valetudinis indicantem, ex parte dependere, *Exc. Dn. Pechlinus tr. de hab. & col. Nigrit. c. V.* veroſimile fecit. Nullum enim arcendæ ſiccitatis efficacius eſſe remedium, quam oleoſam humiditatem, quippe non ſuperficiem tantum, ſed minima etiam contextus penetrantem, ac lævore ſuo partiumque viſcoſa hamoſitate aëris inſulti-

inſultibus ſe ſatis opponentem , membranarum , chordarum , nervearumque fidium præparatio quotidie docet.

XLIV. Quoad Uſus Medicos: Sudori equidem vim aliquam medicamentoſam ineſſe, nemo vocabit in dubium, qui ſaltem materiam ejus conſideraverit, quod ſit ſalſuginoſæ qualitatis ex *Galeno*; quod juxta *Williſium pharm. rat. ſ. V. c. I.* conſtet ex ſale ſulphure ac ſpiritu mediocribus, ſero copioſo, ac terræ pauxillo: Quod juxta mechanicam *Tachenii in Hipp. Chym. c. 12.* ex induſiis ſordidis & ſtrigmentis cutaneis imbutis poſſit parari ſimile ſal, quale ex Urina, quamvis illud non adeo fœtens atque hoc teſtetur. Unde non carent veriſimilitudine, quæ de Sudore πάτῳ ϰ̀ κωνισάλῳ h. e. ſordibus arenoſis in palæſtris Athletarum repertis, mixto, aut è corporibus luctantium oleo perunctis ac pulvere conſperſis, ſtrigilibus collecto, inque uſum Medicum, in ſpecie externum, ad concoquendas cutis durities, ad panos dictos, verrucas, ad phlegmonem mammarum &c. tracto, ex *Galeno*, *Ætio*, *Dioſcoride* atque *Plinio*, doctiſſimus *Mercurialis de arte Gymnaſtica* refert. Quanquam non eſt, ut de ejusmodi remedio hodie ſimus amplius ſolliciti, cum per aliam materiam parabiliorem prædicti effectus obtineri poſſint. Uſu interno adhibitos fuiſſe Sudores, non legimus, niſi quod de *Xenocrate* quodam *Galenus* refert *prœm. l. X. de ſimpl. med. fac.* ipſum inter plurima extremæ turpitudinis ab animalibus petita remedia, propinaſſe quoque potionem collecti Sudoris, Urinæ, Menſium mulieris, ipſumq; Stercus. Quod quidem jure *Galenus* abominandum deteſtandumque vocat. Quamvis hoc non ita ſit accipiendum, acſi omnia animalium excrementa propterea damnentur, cum non ignotum ſit, quid bubulum ſtercus in refrigerando ac diſpellendo, ſuillum in hæmorrhagiis, alia in podagra, ipſumque humanum in ſerpentis cujusdam Indici morſu (in quo id unicum ac Catholicum fertur remedium) valeant. Sunt præterea, qui Sudoris in morientibus ac modo fato functis ad hæmorrhoides mortificandas, & excreſcentias, miras vires prædicant. Ita refertur de quadam Matrona in Anglia, quod ſcirrho lienis laborans, ſolo manus defuncti & ad Anatomen deſtinati cadaveris affrictu fuerit curata. Et *Dn Wedelius* quendam ſe noviſſe teſtatur, ab excreſcentia palpebrarum ingentis jam magnitu-

gnitudinis, phthiſicæ defunctæ manus applicatione ac affrictu ſolo curatum. Taceo ea quæ *Frid. Hoffmannus in Clav. Schrœd.* ac *Daniel Beckherus in Medico Microcoſm.* adducunt: quæ ſane magnam partem vel vana vel præſtigioſa videntur, quemadmodum ex prudenti relectione facile conſtabit. Adde, quod tanta Sudoris copia raro haberi poſſit à ſanis, ut ad uſum Medicum ſufficere queat. Ab ægris vero vel ſanitatem ſimulantibus, vel morbum ſilentio opprimentibus, præſertim de contagio ſuſpectum, qualis eſt Lues venerea, ſcorbutus &c. petere velle, res eſt valde periculoſa, ob contagionis facillimam communicationem; cum & in Arthritide experientia docuerit, nonnullos ſolo chirotecarum aut tibialium indutu podagram aut chiragram contraxiſſe. Tantum!

COROLLARIA.

I.

Fœtum (humanum) in utero ſudare, (ſumpto ſc. mitius, pro exhalatione magis uvida vaporoſa, Sudoris vocabulo) perinde ac mingere; quin Aquas in quibus natat fœtus, Amnio comprehenſas, grandiore fœtu, maximas inde acceſſiones habere, non videtur παράδοξον, utut illis non fiat veriſimile, qui nutritionem fœtus per os, nimis rigoroſe urgent.

II.

Purgantibus moderata doſi non inepte

pte addi poſſe Diaphoretica, *Pulvis Comitis de Warvvick*, ſeu *Cornachini*, luculentum præbet teſtimonium; quippe cujus uſum laudatiſſimum Experientia, rerum Magiſtra, hactenus comprobavit.

III.

Sæpe non tam uno Emetico, aut uno Cathartico, quam uno Diaphoretico delinquitur.

IV.

Pueruli, proportione corporis ac virium, majorem vacuantium tum Diaphoreticorum tum Catharticorum doſin, quam adulti, requirunt ac optime ferunt.

F I N I S.